5. 8. 490

Digitized by Google

632

DE

GEMELLIS

DISSERTATIO

PHILOLOGICO-LEGALIS.

Digitized by Google

692

DE GEMELLIS

DISSERTATIO PHILOLOGICO-LEGALIS

AUCTORE

SCIPIONE JOSEPHO CASALIO

GENUENSI.

VENETIIS, MDCCLVIII.
Typis Antonii Baſſaneſii.
Cum Facultate, & Privilegio.

Google

EMIN. ET REVER. PRINCIPI

GEORGIO CARDINALI

AB AURIA GENUENSI

S. J. C. G.

SI, *ut ex* Ariſtidis *ſententia pervulgatum olim fuit, Libros iis dumtaxat inſcribere fas eſſet ſummis viris, quos ardens gloriæ ſtimulus, ac ingenium ad gran-*

 dia

dia natum eximios effecerit ; atque immortalitatis memoria meritiſſimos ; rari equidem , quibus illi jure nuncuparentur ; extitiſſent ; Etenim

ire per ora
Nomen in æternum paucis mens ignea donat,
Quos Pater æthereis Cæleſtum deſtinat oris.
(*Silius Italicus.*)

Mihi tamen ſummopere lætandum eſt, PRINCEPS EMINENTISSIME , *quod tibi hanc* de Gemellis Philologico-Legalem *ſiſtere* Diſſertationem *queam* . *Quis namque ignorat Te illum eſſe quem non Generis amplitudo, quamvis maxima, non Principum gratia, licet tuis factis debita, ſed ea, quæ*

Rara dari , terriſque ſolet contingere virtus,
(*Statius.*)

ad

ad illud præclariſſimum duxit honoris faſtigium, quod cum ſenectutis præmium fere ſit; tum tibi, ipſo in juventæ flore, munere haud fortuito, collatum fuit? Enim vero illa apud nonnullos invida dudum percrebuerat oratio; Ligurum ingenia navilibus muniis; & mercaturæ eſſe ſolummodo accomodata; illaſque propterea Regiones magis divitiis, quam viris illuſtribus uſque floruiſſe. At ſi ea, quæ opinionum commenta delet, dies, falſo id proditum jam non oſtendiſſet; Si viri undique doctrina, rebus agendis, ac armis egregii, inter quos tui illi omnium ore commendati ANDREAS, *ac* JOANNES ANDREAS AB AURIA, *publicum ad Sydera non extuliſſent Patriæ decus, & nomen; ſi urbs, in qua verſamur, nunquam felicior, quam cum Liguribus parvit Principibus, demirata non fuiſſet* INNOCENTIUM IV. *cui Sanctæ Sedis Majeſtas, ac Jurisdictio ultimum debuit complementum:* NICOLAUM V. *bonarum Artium Parentem, ac Reſtitutorem;* SIX-

TUM IV. *a quo ſuum Roma nitorem, ſuas vero Fiſcus Apoſtolicus opes, ac nobiliora repetit inſtituta: Et denique, ut reliquos omittam* INNOCENTIUM VIII. *ac* JULIUM II. *quorum maximis laboribus, conſiliiſque Pontificium Imperium fundatum fuit, ac plurima virtute ſtabilitum; Si* GENUA *Liguriæ Emporium, & Princeps, quæ, gloria militari ſemper, ſed præcipue nuper ſibi parta, nemini ſecunda eſt, tot ob animi magnitudinem* Heroas *non haberet, quot* PATRES CONSCRIPTOS; *Tu profecti ſolus ſufficeres,* PRINCEPS EMINENTISSIME; *qui fores perpetuum Genuenſis gloriæ, & nominis ornamentum; obſoletamque a Ligurum Gente invidiam depelleres, ac funditus eradicares. Ea enim eſt tui nominis fama, is rerum a Te geſtarum ſplendor, ut nulla ſit tanta vis, tanta copia, quæ illas dicendo poſſit exornare. Difficile namque eſt pro dignitate verbis aſſequi tuam illam preſtantiſſimam ad Cæſarea Comitia Franciſurtenſia Legationem, in*

qua,

qua, *ferme adhuc imberbis*, *non ſolum Noſtrates univerſa illic ab Europa collectos*, *ſed eos peræque*, *quos Dogmatum circa Religionem diverſitas a nobis ſejungit*, *quique propterea Eccleſiaſticum virum facile non adulantur*, *tanta admiratione affeciſti*, *ut tui nunc etiam meminerint*, *& quoties meminerint*, *ulant adhuc*, *ac venerentur*. CAROLUS *vero* VII. *melioribus Imperator dignus temporibus*, *quid de te ſenſerit*, *tunc præſertim declaravit*, *cum*, *tuæ obſequens ſolertiæ*, *ac ſedulitati*, *Romanæ Sedis honorem intactum eſſe voluit*, *atque in ſuum decus conſervatum*. *Summus autem Pontifex* BENEDICTUS XIV. *vir non magis dignitate venerandus*, *quam omnigena eruditione*, *& mentis perſpicacia conſpicuus*, *cuinam*, *niſi Tibi*, *diutinum* Boniæ *ſuæ Patriæ regimen*, *fortunamque commiſit*? *Quemnam ad moderanda totius Eccleſiaſticæ ditionis commoda*, *ſumma cum omnium bonorum conſenſione*, *& plauſu*, *niſi Te vocavit*? *Scio* PRINCEPS EMINENTISSIME,

SIME, *Te æquis minime auribus (tanta eſt tui modeſtia!) accepturum hæc, quæ audeo commemorare. Itaque prætereo ſummam illam tuam manſuetudinem, facilitatemque, ob quam omnibus gratus omnes ſive ſummos, ſive medios, ſive infimos gratos habes: Miſſam facio illam haud ſatis in viro Principe laudatam affabilitatem ſermonis, qua nullos a te reicis, omnibuſque tui copiam æque facis, & patientiſſimas præbes aures. Sileo incredibilem, ac pene divinam tui animi conſtantiam; juſtitiamque, quæ ſuum unicuique jus ſancte, caſteque tribuendo, haud patitur, ut ulla gratia, ulloque metu, aut injuria ab officio abducaris; Prætermitto illam, quæ omnium virtutum fundamentum eſt, Pietatem, qua ita excellis, ut noſtra ætas de te jure gloriari poſſe videatur; Reticeo egregiam in rebus gerendis operam, eximiam erga omnes beneficentiam, ac ſingularem in eos, qui Litterarum ſtudia profitentur, voluntatem; Quæ tamen omnia, innuiſſe operæ pretium fuit, ut*

cuncti

cunĉti intelligerent. Te Librorum dedicatione non tam dignum eſſe, quam digniſſimum; me autem dum tibi exiguum opus hoc (quod utinam Te dignum ſit!) dicare inſtitui, nihil aſſentationi, ſed omnia virtuti, cujus præmium honor eſt tribuiſſe. Reliquum eſt, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut hoc qualecumque mei in te obſequii ſignum, qua ſoles benignitate ſuſcipias, meque tibi pluribus jam de cauſis addiĉtum, devinĉtumque, tuo patrocinio proſequare. Interim vero liceat mibi, quoniam* de Gemellis *meum hoc opus eſt, nuptiis ominari* FRANCISCI Comitis Caravalienſis *tui Fratris filii, quæ cum ſpeĉtatiſſima puella* TURSIÆ DUCI *nunc in* Neapolitana Civitate *tuis ſub auſpiciis maxima cum dignitate inſtruuntur. Tyberius plane Romanorum Imperator dum* Livia *nupta* Druſo, *ſuo filio geminos ſimul enixa fuiſſet, tanto affeĉtum ſe gaudio præbuit, ut non temperaverit, quin ovanti animo Senatum ingrederetur, atque effuſa oratione id ad ſui nomi-*

nis

nis verteret amplitudinem ; atque Imperii ſtabilitatem . Quod igitur rarum , lætumque modicis , etiam penatibus eſt , lectiſſimo Adoleſcenti , de fortuna ob egregias corporis , animique dotes benemerito , auguror , atque in maximum AURIE GENTIS *toto Orbi celeberrimæ incrementum , eventurum conſtantiſſime ſpero . Tibique interea ,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *Sacram , qua non magis ornari , quam ornas , Purpuram venerabundus deoſculor .* Romæ Nonis Februarii anni 1758.

LE-

LECTORI HUMANISSIMO.

BOnis avibus in lucem prodit qualiſcunque hæc mea *de Gemellis Diſſertatio*. Etenim ejus evulgandæ Typis hiſce Venetiis cum ſibi ſumpſerat *Clariſſimus* Vir Religioſus mihi antiqua neceſſitudine conjunctiſſimus. Itaque in iſtis virile, utcunque meritiſſimus, adhuc tamen nihil tale cogitans fuit ad ſupremum ſui Ordinis regimen non minus Electorum ſuffragiis, quam ſua virtute evocatus. Quamobrem cum antea mihi ipſe diffidens fluctuarem, num iſtam in publicum æderem; tunc illico, fauſto quodammodo omine allectus, ac impulſus, animum ſuſcepi, ac multo libentius conſilio Amicorum obtemperavi. Profertur igitur mea hæc *Diſſertatio*, quæ cum ſuum caſui debeat ortum; tum me quodammodo invito, & oſcitanti in molem excrevit. Ad hanc enim ita animum appuli, ut mecum ipſe reputarem, totam rem breviter explicare, ac tribus cartis abſolvere. At dum *legalem* dumtaxat diſputationem breviter agere menti ſedet, tanta, æſtu quodam animi, aliena intexui, ut evaſerit *Philologico-Legalis*. Forſitan plurima in ea redundant. Forſitan, nimis in enodandis difficultatibus meo uſus quandoque ſum indicio. Verumtamen ſicut difficile

ſicile fuit, paucis concludere verbis argumentum a nemine antea peculiari libro, ſtudioque exornatum; Ita neceſſitas etiam impulit, ut in re, quæ nullam legum, nullamque propemodum ſupremorum Tribunalium ſanctionem hactenus agnovit, meo aliquando ſenſui indulgerem. Si nihil egi; ſi Operam luſi; homo ſum. Quocirca, ſi a te commendari non merear, tua me, Lector humaniſſime, benignitas juvet; & ſi opus diſplicet, placeat ſaltem ſtudium, & rei novitas, placeat diligentia ſumma ad inveſtigandam præſentem materiam adhibita, ita ut nemo ibit inficias me omnem movere lapidem. Interea tamen te monitum volo forte fortuna accidiſſe, ut nonnulla, quæ tunc cum *Diſſertatio* hæc elucubraretur, expoſita a me fuerunt quaſi præſentia, vel paulo antea eventa; nunc verſa temporum vice mutata ſint. Quamobrem ſi cronologicus dictionis Ordo comparatus cum anno impreſſionis, cum eo non congruit, ſcias id ob diutinam accidiſſe protelationem æditionis, quæ ſæpe intermiſſa, in longum nimis, me Venetiis longe diſſito, protrahi debuit, ob lethalem morbum, quo afflictatus diu fuit eruditus vir Presbiter Venetus, cujus amicitiæ, diligentiæque, & *Operis Judicem* debeo, & totius *impreſſionis correctionem*. Vale.

I N.

INDEX CAPITUM

Proemium. pag. 1.

Cap. I. *De Diis, Hominibus, Urbibus, ac Rebus, quibus Gemini nomen inditum fuit*. 13

Cap. II. *De Diis, Hominibus, Urbibus, ac Rebus, quibus Gemini nomen inditum fuit*. 13

Cap. III. *De variis celebrioribus Geminis*. 25

Cap. IV. *De Trigeminis, aliiſque numeroſioris Sobolis Partubus*. 54

Cap. V. *Quomodo Gemelli procreentur*. 74

Cap. VI. *De Superfœtatione*. 84

Cap. VII. *De Poſſibili Numero Puerperii, ac multiplicis partus ſucceſſione*. 104

Cap. VIII. *De Succeſſione Ventris prægnantis cum Superſtitibus*. 114

Cap. IX. *De Primogenitura Gemellorum*. 131

Cap. X. *De Primogenitura Gemellorum, quorum nativitatis ordo ignoratur*. 142

Cap. XI. *De ſucceſſione Gemellorum*. 155

Cap. XII. *De Succeſſione Gemellorum in Regno Unico*. 167

Cap. XIII. *De Succeſſione Gemellorum in Monarchiis*. 200

Cap. XIV. *De ſucceſſione Gemellor. in Feudis*. 213

Cap. XV. *Varia de Gemellis, ſeu Multiplicibus Partubus*. 233

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella* Inquiſitor Generale del Santo Ufficio di *Venezia* nel Libro intitolato *De Gemellis Diſſertatio Philologico-Legalis MS.* non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concediamo Licenza ad *Antonio Baſſaneſe* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 28. Agoſto 1756.

(
(Barbon Moroſini Kav. Proc. Ref.
(Alviſe Mocenigo 4.° Kav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro à Carte 47. al Num. 475.

Giacomo Zuccato Segret.

Adi 1. Settembre 1756.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemia.

Franceſco Bianchi Segret.

DE

DE GEMELLIS

PROEMIUM.

CUM nihil magis optandum popularibus in imperiis ſit, quam civium æqualitas & familiarum quies, tum Romanarum *Legum Latores* eam condere volentes Rempublicam, quæ priores omnes anteiret, poſterioribus vero, & ſui æmulandi deſiderium relinqueret, & gloriam imitandi præriperet; merito inter alia plurima ab aliis Gentibus hauſta, ſed partim Romanis moribus non convenientia, partim libertati contraria, ſub ſilentio etiam præterierunt Jus illud quod vocant Primogenituræ; ex quo tanta in familiis inæqualitas invehitur, ut exortis ſæpe ſæpius ex bonorum, atque aſſis inæ-

qualitate diſcordiis potentiſſimum fraternæ caritatis vinculum diſſolvatur. Teſtes ſunt *Jacob & Eſau*, teſtes *Artamenes* & *Xerſes*, teſtes *Cyrus* & *Artaxerſes*, teſtes denique temporibus magis proximis *Gemi* & *Baijazettus*; quorum diſcordia multorum millium ſanguine redundavit, nec niſi alterius internecione finem eſt conſecuta. Viderat quidem Romanus Populus, poſtquam Aſiam penetraverat, *Hebræos*, apud quos antiquiſſimis temporibus cuilibet Primogenito decus Sacerdotii tribuebatur, maxime adhuc ſtudentes Primogenituræ. Viderat etiam *Ægyptios* ab iis idem Jus Primogeniale derivaſſe. Viderat *Græcos*, *Perſas*, *Parthos*, aliaſque gentes & populos in regnorum ſucceſſione præferre ſemper Primogenitum. Sed cum Sacerdotii honor unicuique jampridem in Urbe pateret, regium autem nomen una cum *Tarquiniis* ab hac foret expulſum; contra autem nimium intereſſet, ad rem romanam publicam, ejuſque nominis majeſtatem conſervandam, ampliamdamque, familiarum cenſum, viventemque, ut

ut ita dicam, opem augeri; hinc enitendum erat ne leges eæ, quæ idcirco cælibem in Urbe eſſe non permittebant, haud aſſentirentur *individuis* illis ſucceſſionibus, quæ fratres minores ad neceſſarium quodammodo cælibatum, veluti nunc reapſe uſu venire ſolet compuliſſent. Verum enim veró poſtquam eo tandem Romanus devenit Populus, ut ad unius arbitrium ſummam Imperii conferre fuerit neceſſarium, cœpit una cum aliis victarum gentium moribus, Jus etiam iſtud *ad Urbem* victricem propagari. Succeſſibus vero adeo exiguis, ut vix temporibus *Juſtiniani* in Imperiali ſolio pacifice locum reperiſſe videretur. At non diu ſtetit, quin vel naturæ ſtimulus, vel regni neceſſitas, vel novitatis ſtudium, vel feudorum a Barbaris in Italiam invectorum exemplum, ipſos rerum dominos, æque, ac ceteros omnes propenſiores fecerint erga ſuos quemque Primogenitos; atque ita propenſiores, ut cœperit quibuslibet ferme in teſtatorum elogiis Jus Primogenituræ dominari; hinc autem factum eſt, ut cum nulla

de Primigeniis fuerit lata lex, omnia remanſerint plena difficultatibus, quarum cum plurimæ fuerint jam a prudentibus enodatæ: perdifficilis certe, etſi ulla unquam utilis eſt quæſtio de *Primogenitura Geminorum*, de qua tam variæ ſunt non ſolum doctorum, ſed imperitorum ſententiæ, ut nunquam forte eveniat Geminos, pluresve uno edi partu, quin controverſia excitetur de ipſorum Primogenitura. Sunt enim juris periti, qui primum ab utero matris exeuntem, Primogenitum eſſe dixerunt; alii, quorum vulgus ipſe probat ſententiam, qui ſecundo natum, veluti primo conceptum Primogeniti prærogativa eſſe donandum authument: utrique vero tanta ſunt in varietate, quiſnam Primogenitus habendus ſit, quando ſive ob adſtantium negligentiam, ſive ob qualitatem partus Cæſarii latet, quis primus aut ſecundus in lucem prodierit, ut longum ſit eorum ſententias dinumerare. Neque de his certatur dumtaxat, ſed plurima alia ſunt huc certe conducentia, de quibus ſumma cum diſſenſio-

ſione diſputatur; nam de *poſſibili numero fetuum*, de *ſuperfectatione*, deque pluribus aliis, quæ in hac *Diſſertatione* continentur, multa congeruntur, quæ niſi prius dijudicentur perdifficile erit propoſitæ *Quæſtiones* exitum invenire. Quamobrem non inutile futurum arbitror, ſi hæc a me agatur diſputatio, a pluribus quidem atta&ta, ſed a nemine peculiari ſtudio ha&enus definita. Verumtamen cum in hiſce quæſtionibus evenire ſoleat, ut eæ vel nimis medice, vel nimis juriſperite diſceptentur, operæ pretium arbitror mediam tenere viam, per quam incedere velle menti ſedet, poſſe autem ſpes eſt ſed non confidentia.

Digitized by Google

DE GEMELLIS

DISSERTATIO PHILOLOGICO-LEGALIS.

De ſignificatione vocis Geminus.

CAPUT I.

I. QUoniam ſummis viris placuit, ut omnis exordiatur diſputatio a notione illius de quo agitur; ſatius in primis eſt Geminorum definitionem inquirere. *Gemini* igitur in propria hac noſtra ſignificatione definiuntur a *Nonio Marcello*, (*de propriet. Serm. verb. Gemini*), *qui ex uno utero, & uno die nati ſunt*; itidemque deſcribuntur ab *Aſcentio* (*in Not. ad Egl. Virgil. prim. verſ.* 14.) *illi eſſe, qui ex uno*

utero, & uno die editi ſunt, aut ſaltem ſimul fuerunt geſtati. Utraque tamen hæc definitio, & nimis ampla eſt, & ſuo minime convenit definito. Nam quis Naturæ legem ſtatuit, ut quos uno genuit actu, uno in auras educere debeat die? Nonne *Vopiſcus*, altero per abortum decidente, non remanet in matris utero? Cur ergo poſtridie, & ſic deinceps quam alter ex gemellis perfecte natus eſt, alter naſci non poterit? Itaque conſultius erit *Geminos* deſinire *illos* eſſe *qui uno ſimul portantur utero*. Nam quamvis, aliqui qui ſuperfetationem admittunt, abnuant, quominus ſuperfetatus dici geminus debeat cum priore concepto, nihilominus illorum ferenda non eſt ſententia; adeo quippe verum eſt hunc cum illo geminum habendum eſſe, ut *Heraſiſtratus* Medicus antiquiſſimus omnes ſenſerit geminos ſuperfatatione concipi, ac generari (*Plutarch. de Plac. Philoſoph. lib.* 5. *cap.* 10.)

II. Plura etiam alia nomina in id collinant, ut ſignificent Geminos; nimirum *Didymi*, *Gemelli*, *Pares*, *Mænecmi*, *Trigemini*, *Quadrigemini*, ac *Vopiſci*, & *Bicorpor*.

III. *Didymi* Græca vox eſt, circa quam obſervat Celius Rodiginus (*Lect. antiq. lib.* 4. *cap.* 23.) alios eſſe *Didymos*, alios *Didymaonas*, ut *Didymi* ſint conjunctis, connexiſque corporibus; *Didymaonas* vero divaricatis, ſejunctiſ-

que,

que, ſed ut in hac re omnia penitus ex me indefinita remaneant, en ejus verba. *Geminos, Græci nunc Didymos dicunt, nunc Didymaonas, eo tamen interſtitio, ſicut in rhetorico adnotatum lexico eſt, ut ſint Didymaonas divaricatis, ſejunctiſque corporibus; Didymi autem conjunctis, connexiſque. Cujuſmodi fuiſſe actorionas traditum fabulis ſcimus.*

IV. Alia vox *Gemelli* forſan crebrius uſurpatur, quam Gemini; Sed ea nihilominus eſt hujus diminutivum, ſonans in aliquid amabilius, ſeu miſerabilius, veluti, omnes explicant illud Virgilii (*Eglog.* 1. *v.* 14.)

modo namque Gemellos,
Spem gregis ab Silice in nuda connixa reliquit.

V. Vox etiam *pares* cum a latinis ad deſignandam geminam quamdam æqualitatem foret inſtituta; itaut *Livium* & *Saluſtium* magis pares, quam ſimiles vocaverit *Servilius Novianus* (*Quintil. lib.* 10. *cap.* 1.); Tum ad geminum partum etiam fuit accomodata. Propterea que *Propertius* (*Eleg. lib.* 3. *Eleg.* 9.) *Romulum* & *Remum* deſcribens hæc ait.

Eductoſque pares Silveſtri ex ubere Reges.

Hinc niſi dicere velimus *Feſta Parilia*, Urbis na-

natalitia, eſſe tum nomine tum celebritate antiquiora Urbe, & Romulo; certe errare videntur ii qui iſta *Palilia* potius quam *Parilia* nuncupant; Cur enim a Dea *Pales*, aut a partu pecuris ea *Palilia* dicantur, quando a *Geminis* filiis *Iliæ*, Urbis conditoribus *Parilia* aptiori nominis derivatione dici queunt & debent? (*Solinus apud Stephanum Dictionar. verb. Palilia. Lacerda in Æneid. lib. 8. verſ. 631. n. 7.*)

VI. *Menæcmi* quoque idem ſunt ac Gemini, non quia id Menæcmus ex propria ſui inſtitutione ſignificet; ſed ob illam lepidiſſimam *Plautinam Fabulam*, cui ex nomine Protagoniſtarum nomen *Menæcmorum* eſt, ut innuere videtur *Varro* (*Ling. Lat. lib. 9.*)

VII. Voces *Trigemini*, *Quadrigemini*, ſimileſque, trium, quatuor, vel plurium puerorum partum enunciant, haud ita tamen, ut ſola vox Gemini id etiam non ſignificet, exprimatque. Nam *Geminus* generis vox eſt, quæ in plures dividitur ſpecies, inter quas tamen primum obtinet ipſa locum; quia ad explicandum quoque dualem partum ſolet præcipue uſurpari (*Perott. Cornucop. Epigram.* 22. *V. Gemini.*)

VIII. Tandem *Vopiſcus* ille appellatur ex Geminis, qui retentus utero ad maturitatem pervenit altero decidente intempeſtivo fluxu

(*Plin.*

(*Plin. Natur. Hiſtor. lib. 7. cap.* 10.) Sicuti *Bicorpores* illi dicuntur Gemini, qui monſtroſo partu inter ſe connexi conjunctique naſcuntur, quorum exemplum affert (*Greiſelius Miſcell. Natur. Curioſor. Obſerv.* 55.)

IX. Aliæ ſignificariones vocis Geminus ad Grammaticos pertinent, unde breviter harum nonnullas recenſebimus. Et ſane Geminus apud probos latinæ linguæ Scriptures idem eſt ac duo (*Virgil Æneid. lib.* 1.)

Arcturum, pluviaſque Hyadas geminoſque Triones.

Idemque (*Æneid. lib. 6.*) *Sunt geminæ Somni Portæ*. Pro ſimili etiam uſurpatur a *Pacuvio vio in Tragedia*, cui titulus *Niptris*, *par fortitudo*, *gemina confidentia*. Ac tandem pro valido dicitur apud *Martialem* (*lib.* 1. *Epig.* 22.) *Namque gravem gemino cornu ſic extulit urſum*.

X. Reſtat nunc, ut duas diſſolvamus quæſtiones circa hanc vocem Geminus. *Prima* eſt num vox hæc, qua ſignificat fetus uno actu conceptos, derivata ſit a voce Geminus, quæ latini, ut vidimus, duo ſignificat, ſeu potius e contra. Hæc plane quæſtio parum nos remorari debet; quia cum ſuperins ex *Perotto* animadverſum ſit nomine Gemini comprǽhendi

di non ſolum duos, ſed etiam plures unico oſtu genitos; inde apparet derivari nequiviſſe a voce *Geminus* duo tantum ſignificante; ſed potius quia ſæpe ſæpius uſuvenire ſolet, ut multipari partus præferant duos fetus, cœpta fuit vox *Geminus* uſurpari etiam ad numerum dualem ſignificandum. Cur enim romanæ linguæ conditores proprio nomine decorare debuerunt *Vopiſcos*, cur *Agrippas*, & non etiam partum duplicem, triplicemve tanto celebriorem partubus Vopiſcorum, atque Agripparum?

XI. Secunda eſt num ſcribendum ſit *Tergeminus*, ſeu *Trigeminus*. Hæc certe diſputatio ab illa non differt, quam motam audivimus in ultimis ſolemnibus Eccleſiæ Comitiis, in quibus ſummo totius orbis bono, ac litterariæ Reipublicæ incremento creatus fuit Pontifex *Benedictus XIV.* In his igitur duo ampliſſimi Cardinales de litteris, ſcientiiſque omnibus quam maxime meriti *Annibal Albanus*, ac *Dominicus Paſſioneus* dubitarunt num in enumerandis ſuffragiis dicendum eſſet *tredecim*, ſeu *treſdecim*. Sed quoniam tunc uterque in ſua ſententia victor abiit, quia plene cognitum fuit utroque modo dici, ac ſcribi poſſe; ita nos etiam credimus liberum cuique eſſe ſcribere *Tergeminos*, *Trigeminos*, atque ſi malumus, etiam *Treſgeminos*.

XII.

XII. Hic locus etiam eſſet, ut aliqua diſſeremus circa ea, quæ inquit *Gloſſa in Leg. Antiq. verb. Treſgemini ff. ſi pars hered. pet.* ubi treſgemini interpretrantur pro ſex; ſed libenter hoc præterimus *Acurſii* ſomnium, cui reſiſtit ipſum exemplum *Horatiorum*, quod in ea lege affertur, quos non ſex, ſed tres duntaxat fuiſſe omnes ſciunt.

De Diis, Hominibus, Urbibus, ac Rebus, quibus Gemini nomen inditum fuit.

CAPUT II.

I. PLurimos tum vetus, tum recens hiſtoria refert, qui vel *Didymi*, vel *Gemini* nomen, aut agnomen, ſive cognomen tulerunt. Hos tamen omnes hic referre nimium improbi, & forſan a propoſito extranei laboris eſſet. Itaque operæ precium me facturum arbitror, ſi eorum dumtaxat meminerim, quos nominis celebritas reddidit memoratu digniores. Quoniam vero Græcis primas dare convenit, ab iis exordiemur qui *Didymi* fuerunt vocitati. In primis igitur *D. Thomas Apoſtolus Didymi* cognomine ubique deſtinguitur in *Evangel. Joann. capit.* 11. *v.* 16. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur*

tur Didymus ad condiſcipulos: & *cap.* 20. *v.* 24. *Thomas autem, qui dicitur Didymus non erat cum eis*. Simile etiam cognomen *Didymi*, aut *Didymæi* inditum eſt *Apollini*, ſive quod Solem. accendendo formandoque Lunæ jubar ex uno lucis fonte gemino ſydere ſpatia diei ac noctis illuſtret, ut inquit *Macrobius* (*in Saturnal.*); ſive melius, quod Gemellus cum Latona in lucem venerit, ut *Capite ſequenti* enarraturi ſumus. Sive etiam quod celebre eſſet illius *Oraculum* nuncupatum *Didymeum* poſitum in occidentali Aſiæ parte in montibus *Didymis*, qui utrum nomen acceperint ab Apolline dicto Didymeo, ſeu potius ſuo de nomine Apollini, atque Oraculo nomen dederint, dubitari poteſt. De hoc Oraculo, de quo plurimi veteres multa fecere verba (*Pompon. Mel. de ſit. Urb. in Sor. Plin. Hiſtor Natur. lib.* 5. *cap.* 29. *Quint, Curt. cap.* 12. *lib.* 7. *Strab. Geograph. in Bactr. lib.* 1. *Lactant. de Ver. Sap. L.* 4. *cap.* 13. *Apulejus in Aſin. Aur. Lib.* 4.) meminit, atque celebrioribus annumerat Statius (*Thebaid.* 8.)

> *Nec Clarias hac luce fores, Didymeaque quiſquam*
> *Limina, nec Lycias ſupplex conſultor adibit*.

Inter

Inter Scriptores Eccleſiaſticos illuſtrem ſibi paravit gloriam *Didymus Alexandrinus* celebris non magis ſuis, quæ edidit, ſcriptis quam maximo in Sacris Litteris auditore *Hieronymo*, ejus vero nomen ad poſteros meliori omine dimanaviſſet, ſi quæ in *Origene* reprehenduntur, bene ſcripta eſſe non contendiſſet, cujus opinionis cauſa meruit in quinta Synodo Generali condemnari (*Nicephor. Hiſt. lib.* 17. *capit.* 27. *Socr. lib.* 1. *cap.* 5.) De eo mira dicit *Hieronymus* (*de Scriptor. Eccleſiaſt.* (*Captus a parva ætate oculis*, & *ob id elementorum quoque ignarus*, *tantum miraculum ſui omnibus præbuit*, *ut Dialecticam quoque*, & *Geometriam*, *quæ vel maxime viſu indigent*, *uſque ad perfectionem didicerit*. Simile profecto, miraculum de *Diodoto* Philoſopho Stoico exhibet *Cicero* (*Tuſculan. lib.* 5.) At non vel majus etiam noſtro vidimus ævo in *Dominico Rollio* Poeta non inſulſo, noſtroque Arcade fratre alterius viri clariſſimi *Pauli Rolii* paucis ab hinc annis defuncto, qui luce orbatus a teneris unguiculis, non ſolum iſta omnia quæ de *Didymo* memorantur didicit, ſed etiam plura mechanica ſuis perficiebat manibus. In primiſque muſicam ita calluit, ut eam in notas ad ſonum aptas redigeret, ſuaſque inſuper ſymphonias propria manu muſicalibus pulſaret arcubus. Al-

ter *Didymus* Alexandrinus eſt ille Salſamentarii filius, quo nemo, ut *Quintillianus* ait, plura ſcripſit. Grammaticus fuit, & ad *Augusti* tempora pervenit, atque ob aſſiduam circa libros moram grege *Chalcenterus* eſt appellatus. Ad tria millia librorum, & quingentos ſcripſiſſe dicitur, in quibus nonnumquam Ciceronem reprehenderat. (*Macrob. Saturn. lib.* 5. *cap.* 12. *Ammian. lib.* 22.)

II. Non defuerunt etiam qui ſub hoc perſonato *Didymi* nomine ſe celaverunt, ut fecit *Philippus Melanchton*, cujus eſt oratio pro *Lutero* ſub nomine *Didymi Faventini* (*Sekendorfius Hyſtor. Luter. lib.* 1. *pag.* 108.). Plurima ſimiliter contra Prædicantes ſub nomine *Didymi Hermanowillani* vulgavit *Thomas Plagius* Jeſuita (*Sotwell. Bibl. Script. Soc. Jeſ. pag.* 761.), Defenſionem ſui ipſius aggreſſus eſt *Thomas Mazza* ſub larva *Didymi Leoclavii Siciliani* in libro cui titulus *Aucupium Ibis*. (*Villan. Viſier. alz, Hecart.* 95.)

III. Urbes quoque, & loca, reſque quamplurimæ nomen hoc habuere. Una Cycladum *Didyme* appellata fuit.

> *At non Oliaros, Didymeque, & Tetros, & Andros.* (*Ovid. Metam.* 7.)

Alia quoque Siciliæ Inſula ſic dicta fuit (*Idem Faſt.* 4.)

Hime-

Himeraque, & *Didymen*, *Acragantaque*, *Tauromenonque*.

Inter inſulas Lybiæ adiacentes Ægypto in Pelago Ægyptio fuerunt *Didyme* inſulæ duæ (*Ptolom. Geograph. lib.* 4. *cap.* 5. *Tab.* 3. *Afric.*). In inſula vero Gaditana Urbs ex duabus urbibus a Baldo Gaditano Viro Triumphali conſtructa *Didyme* vocata fuit (*Strab. Geograph. lib.* 3. *in Hiſp.*). Montes *Didymos* ibi fuiſſe ubi erat Oraculum *Apollinis Didymei*, jam ſuperius obſervavimus; Alii Montes *Didymi*, ſtabant in Galatia ad Plagam Orientalem, alii in ſinu Sachelitæ (*Ptolom. Geograph. lib.* 5. *cap.* 4. *Tab.* 1. & *lib.* 6. *cap.* 7. *Tab.* 6. *Aſiæ*). Horum plane nomen nobis in mentem revocat binos illos montes Genuæ patriæ noſtræ ita inter ſe pares, ut *Gemini fratres* nuncupentur, celebres ultimo Bello Liguſtico, cujus gloriam & decus cum Italiæ gloria & decore conjunctum nulla umquam ætas conticeſcet. *Didymus* quoque dicebatur, teſte *Pauſania* Argiæ vicus. Tandem Anatomici *Didymos* appellant teſtes viriles, (*Lanciſ. in Tab. Euſtach. Tab.* 12. *fig.* 2.) Sicut *Epididymos* nuncupant corpuſcula illa, quæ a *Didymis* prodeuntia iis, in quos reflectuntur, incumbunt (*Dioni Anat. c.* 4.)

A græca voce ad latinam tranſire ratio po-

 ſtu-

ſtulat: *Geminus* ſive nomine, ſive cognomine appellatus fuit *Janus* a gemina facie, una Ortum, alia Occidentem ſpectante, ut plerique ſentiunt. His tamen præcipuæ in locis hoc nomine a Scriptoribus diſtinguitur, ubi occaſio eſt narrandi fuiſſe ejus Templum ſupra Janiculum clauſum tempore belli, aut tempore pacis apertum .. *Janumque Geminum fidem pacis & belli..... colendum dedit... Auſuſque tandem Cæſar Auguſtus ſeptingenteſimo ab Urbe condita anno Janum Geminum claudere..* inquit *Florus* (*Lib* 1. *cap.* 2. & *Lib.* 14. *cap.* 12.), & cum eo conſentiunt *Varro* (*de Lingua latina*), *Svetonius* (*in Neron.*), *Vellejus Paterculus* (*Lib.* 2. *Sect.* 38.), & *Lampridius* (*in Commod.*). Ex quo propterea ſuſpicio eſſe poſſet, aut illum dumtaxat *Janum* dictum fuiſſe *Geminum*; aut *Janum Geminum* fidem belli & pacis duas fuiſſe Templi januas, unam intrinſecus, alteram extrinſecus, ſeu potius unam dexteram, ſiniſtramque alteram, quæ peculiari religione tempore belli & pacis viciſſim clauſæ, aut apertæ venerarentur, atque a duplici Jano, ideſt a duplici ingreſſu nuncuparentur *Janus Geminus*; non ſecus ac in antiquiſſimis portis Urbis duos fuiſſe egreſſus, qui *Janus dexter* & *ſiniſter* dicebantur, non obſcure teſtatur *Ovidius* (*Faſtor. lib.* 2.)

Car-

Carmentis Porta dextro eſt via proxima Jano...

Lares pariter peculiari nomine appellati fuerunt *Dii Gemelli*, ut idem inquit *Ovidius* (*Faſt.* 5.)

Bina Gemellorum quærebam ſigna Deorum.

Latona etiam ob celebrem geminum partum *Apollinis* & *Dianæ*, nuncupata fuit *Dea Gemellipara* eodem *Ovidio* ibidem teſtante.

Fuit impetus illi
Curva gemelliparæ ſpicula ferre Deæ.

Bicorporeus Chiron *Geminus* vocatus fuit. (*Idem Metam.* 6.)

Ut Saturnus equo Geminum Chirona creavit.

Recte etiam *Triton* a duabus caudis geminus dictus fuit a *Statio* (*Thebaid. lib.* 5.)

Venit æquoris alti
Rex ſublimis equis; Geminuſque ad ſpumea Triton
Fræna natans late Pelago dat ſigna cadenti.

Hecates, quam Poetæ fabulabantur eſſe in cælo *Lunam*, *Dianam* in ſylvis, atque apud inferos *Proſerpinam Tergemina* fuit dicta a *Virgilio* (*Æneid 6.*)

Tergeminamque Hecatem tria Virginis ora
Dianæ.

Cerberus, ob tria capita, diſtinctus extitit prænomine *Canis trigemini*, ut plurima teſtantur veterum Poetarum carmina, quæ libet omittere, ut unus afferatur ex recentioribus, qui antiquis, iiſdem doctiſſimis, Poetis, tempus invidere dumtaxat debet, *Sanazarius* nempe (*de Partu Virginis Lib. 1.*)

& non lætabile murmur
Tergemini Canis adverſo qui carceris antro
Excubat inſomnis ſemper, rictuque triſauci
Horrendum ſtimulante fame ſub nocte profunda
Perſonat.

Tricorporeus quoque *Geryon Trigemini* nomine deſignatur a *Lucretio* (*Lib. 5.*)

Quidve tripectora tergemini vis Geryonai.

Ob innumeras etiam ſui manus *Briareus* nuncupatus fuit *Centumgeminus* (*Virgil. Æneid. 6.*)

Et

Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ.

IV. Faſti quoque coſulares Romanæ Reipublicæ plures habent cognomento *Geminos*. Neque id mirum: nam aliquas Romanorum familias, inter quas *Aburia*, & *Servilia* hoc Gemini cognomine fuiſſe diſtinctas, non dubitatur (*Vailant de nummis antiq. Famil. Roman. in Famil. Servilia* §. 9. *Orſin de Famil. Roman. Familia Aburia*). Præceteris tamen celeberrimi ſunt *C. Rebellius*, & *Cajus Fuſius Gemini*, non tantum quia *ipſis Coſſ.* obiit *Livia* Auguſta *Tyberii* mater, atque *Auguſti* uxor (*Tacit. Annal. Lib.* 5. *cap.* 1.); quantum ex eo quod annus, eorum Conſulatu ſignatus fuit, ut aliqui volunt, emortualis *Chriſti Servatoris*. De his meminit inſcriptio Militaris apud *Gruterum in Corp. Vet. Inſcript. pag.* 535. *num.* 2.

D. M.
Q. CÆTRONIUS.
Q. F. PUB.
PASSER
MIL. COH. IIII. PR.
ANNIS. XVIII.
MISSUS. DUOB.
GEMINIS.
COSS.

V. Non ſolum autem cognomina, ſed & nomina etiam *Gemellus* & *Geminus* haud deſunt in ſacris Martyrum faſtis, ac in eccleſiaſticæ, & profanæ Hiſtoriæ Scriptoribus; ſicut etiam in veterum inſcriptionibus. Verum cum de illis late memoria recolatur in *Martyrologio*, de his vero ſicut de aliis nomine *Didymis* a nobis ſuperius conſulto prætermiſſis, ſeries legatur in *Stephano* (*Dictionar. Hiſtor.*), & *Hoffmanno* (*Lexicon univerſale*), & *Grutero* (*Corp. veter. inſcript.*). Hinc, ne nimis divagemur lectorem ad hoc delegamus. Addimus tamen *Gemellum* etiam vocatum fuiſſe Senatorem illum, qui devictis a *Theodorico* Rege Gothorum Galliis, fuit ab hoc in iis Regnis Vicarius Præfectorum conſtitutus (*Caſſiodor. lib. 3. Epiſtolar. 16.*); De quo ideo verba ſeorſim facimus, quia ab enarratis auctoribus prætermittitur.

VI. Ab animatis pergimus nunc ad res inanimatas, quæ nomen *Gemini* ſortitæ ſunt. Cæleſte illud ſignum, per quod Sol iter agens ad Arctum propinquat menſe Junio, tertiumque in cæleſtibus ſignis numeratur, nuncupatum fuit *Gemini*: de eo *Cicero* (*De Natur. Deor. lib. 2.*)

Et natos Geminos inviſes ſub caput Arcti.

ac

ac *Manilius*. (*Aſtronom. lib.* 4.

Altera pars Tauro Geminis pars tertia cedit.

Legiones illæ quæ de duabus factæ fuerant, quojuſmodi erant VII. X. XIII. & XIV. *Gemellæ* dictæ fuere (*Cæſar de Bello Civili lib.* 3.): Vites exigentes duplices Uvas appellatæ ſunt *Gemellæ* (*Columell. lib.* 3. *cap.* 1.). Mala *Gemella* vocata fuerunt ea, quæ nunquam fere ſingula naſcuntur (*Plin. Hiſt. Natur. lib.*15. *c.* 14.). *Gemellar* ſeu *Gemellaria* vaſis erat genus, cui fortaſſis ex eo inditum nomen, quod geminas menſuras contineret (*Columel. lib.* 2. *cap.* 50.) (*Auguſtinus in Pſalm.* 136.). A Geminis etiam Clodovei II. Galliarum Regis, filiis ibi ſepultis nomen ſumpſit celeberrimum Monaſterium prope Rothomagum, quod vocant *Gemeticum*. Urbem, *Gemellam* nomine, recenſet *Appianus in Hiſtoria Bellorum Hiſpanienſium*, quæ forſan eadem eſt, ac *Tucci*, ſeu *Tuccis Ptholomei*, & *Strobonis*; iſta namque a Plinio *Auguſta Gemella* denominatur. In *Theſauro* pariter *Golzziano* nummiſma cernitur *Claudii* Imperatoris in quo legitur *Colonia Auguſta Gemella Legio XXV.* circa quod diſputant antiquarii; aliis refferentibus *Gemella* ad *Legionem*, aliis ad *Urbem*. Sed ad utramque aptari poſſe nemo dubitabit, qui conſi

dceret Legiones, quæ a duobus ſimul unitis factæ fuerant, *Gemellas*, ut diximus, vocitari conſueviſſe: Sicut etiam eas Colonias plerumque *Gemeleas* fuiſſe nuncupatas, in quas miſſi fuerant milites earumdem Legionum Gemellarum. *Gemelli* nuncupantur primus, & ſecundus muſculus extenſorum pedis; quemadmodum *Geminorum*, ſeu *Quatrigenorum* nomen traditum fuit muſculis illis coxæ, qui originem ducentes a duabus exiguis prominentiis in poſteriori parte oſſis *Iſchii*, ac ſeſe inſerentes in parvam cavitatem ad radices *Trochanteris Majoris* procurant abductionem Femoris (*Dioniſ. Anat. Demonſtrat.* 10.). Portæ etiam *Tergeminæ* meminit *Plautus* in *Captivis* (*Act.* 1. *Scen.* 1.) quam extitiſſe ſub *Publicii Clyvo* prope Salinas veteres, teſtis eſt *Frontinus* (*de Aqueduct. Urb. art.* 5.); eam a *trigeminis Horatiis* nomen derivaſſe, ſuſpicari utique valeret, ſed diſſentit, ac docte more ſuo inficiatur *Nardinus* (*Roma Antica lib.* 1. *cap.* 9). Maximos quoque Romanæ Reipublicæ Magiſtratus nullo alio magis apto ſcivit vocabulo deſignare *Horatius*, quam illos vocando *Tergeminos* (*lib.* 1. *Od.* 1.)

Hunc ſi mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus.

Nilus

Nilus denique *ſeptingemini* cognomine a ſeptem Oſtiis gaudet (*Catull. in Od. ad Fur. & Aurelium*)

> *Sive qua Septingeminus colorat*
> *Æquora Nilus*

De variis celebrioribus Geminis.

CAPUT III.

I. HOmines initio rerum conſtanter Gemellos fuiſſe natos, Evamque duos ſemper fetaſſe maſculum unum, feminam aliam, quæ prius uteri tum lecti ſocia eſſet; non ſolum noſtrates ſcribunt, ſed omnes ferme conſentiunt orientales, a quibus opinio hæc traducta fuit ad Arabes Mahumettanos. *Eutichius* Patriarcha Alexandrinus, qui credulus orientalibus, plurimas ſuis ſcriptis fabulas contexuit, addit hinc extitiſſe cauſam diſſidii inter *Cainum*, & *Abelem*, quia *Cainus* in uxorem appetens *Aſronam* ſuam gemellam formoſiorem, furore turpis zelotypiæ flagrans interemit *Abelem*, cui *Adam* matrimonio illam jungere ſatagebat, de quo videndus eſt *Seldenus* (*de Jur. Nat. & Gent. lib.* III. *C.* 2.). *Rabini*,

bini, eorumque ſectator *Calvinus* commenti ſunt *Cainam* & *Abelem* fuiſſe geminos, eo innixi fundamento, quia *Sacer Textus* iſtorum exſcribens nativitatem duplicem narrat partum, unumque dumtaxat præmittit conceptum; quaſi quod neceſſe foret mentioni cujuslibet partus præcedere ſemper conceptus etiam narrationem: *Calmet*: (*in Geneſ. cap.* 4.) At enim vero non inepte ſuſpicari licet *Tubalcain* & *Noema* fuiſſe geminos; etenim Moſes nullibi alias ſolicitus de feminarum nativitate, quæ præſertim in ſuæ hiſtoriæ parte non erant vocandæ, conſulto ſcriptum reliquit... *Sella quoque genuit Tubalcain*,... *Soror vero Tubalcain*, *Noema*. (*Gen.c.*4.*v.*22.)... Ex quo forſan argui poſſet geminorum partus ab Eva inceptos, temporibus *Tubalcain* adhuc deſitos non fuiſſe, unoque ſemper partu feminas ante diluvianas peperiſſe maſculum & feminam, ut humani generis propagatio deſiderabat; alioquin cur *Noema* expreſſim nominare? Nec feminas ſolum antediluvianas, ſed *Noe* ejuſque familiam poſt Diluvium perpetuo geminos edidiſſe marem & feminam; qui adulti, & conjuges effecti, & ipſi binos partu liberos ſemper edebant, innuit quiſquis ſit *Beroſus* ille, cujus habemus ſcripta de *Antiquitate* (*lib.* 3. *in princ.*)

II. Sed his omiſſis quæ conjectura dumtaxat

taxat

taxat aperiuntur, ad illos veniamus Gemellos, qui certa in Hiſtoriæ luce manent. Itaque *Jacob* & *Eſau* filii *Iſaac*; *Phares* & *Zara* a *Juda* progeniti, gemelli fuere. Primorum partus ita narratur in *Geneſi* (*Cap.* 25. *v.* 24. & 25.) ... *Jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti ſunt. Qui prior egreſſus eſt rufus erat, vocatumque eſt nomen ejus Eſau. Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Jacob.* Secundus partus geminorum filiorum *Judæ* ex *Thamar* ſua nuru deſcribitur eodem libro (*Cap.* 38. *verſ.* 27. & *ſeqq.*) *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in utero, atque in ipſa effuſione infantium unus protulit manum, in qua obſtetrix ligavit coccinum dicens: iſte egredietur prior. Illo vero retrahente manum egreſſus eſt alter: dixitque mulier, diviſa eſt propter te maceria, & ob hanc cauſam vocavit nomen ejus Phares. Poſtea egreſſus eſt frater ejus, in cujus manu erat coccinum, quem appellavit Zara.*

III. Hæroica gentium tempora plures itidem exhibent gemellos progenitos ab illis flagitioſis Diis, quos tamquam exemplar ſuarum turpitudinum gentes ſibi confinxerunt. *Jupiter* enim Pater Divum, cælique Regnator, qui gemellus cum *Junone* editus *Saturno* fuit a Conjuge *Opi*, quæ itidem *Plutonem* &

Glaucam geminos peperit, *teſtibus Poetis*: Jupiter in quod adulteratus cum *Latona* duos ab illa uno partu ſuſcepit liberos, *Apollinem* videlicet, & *Dianam* ut canit *Ovidius* (*Metamopg.* 6.)

Illic incumbens cum Pallidis arbore Palma
Edidit invita geminos Latona Noverca.

Ab alio pariter *Jovis* adulterio cum *Antiopa* ſub forma Satyri eb eo vitiata, prodierunt duo fratres gemini *Amphion* & *Zetes* celebres ædificarione murorum Thebanorum, eodem teſtante Ovidio (*ibidem*)

Addidit, ut Satyri cælatus imagine pulchram.
Jupiter implevit gemino Nitheida fœtu;

& Horatius (*Lib.* 1. Epiſt. 18.)

Gratia ſic fratrum geminorum Amphionis, atque
Zethi diſſiluit.

Palici, ſeu *Paliſci* non ultimum etiam tenent locum inter filios *Jovis* geminos; licet eorum fabulam ipſis ferme latinis ignotam fuiſſe dictaverit *Macrobius* (*Saturnal. lib.* 5. *cap.* 8.).

8.): Hos prope Symetam Siciliæ flumen Nympha *Etna*, ſeu melius *Thalia* peperit inviſa de more *Junone*; atque ita inviſa, ut ea, poſtquam ſe gravidam agnovit, iſtius iram extimeſcens obtinuerit ſibi terram dehiſcere; a qua non prius reverſa eſt, quam inſtante tempore partus, quo in lucem miſit geminos filios græco nomine dictos *Palici*, quaſi revertentes, ſeu latino *Paliſci*, ab hiſcendo, quod terra ob ipſorum partum hiſcerit. Horum Templum a Siculis, qui eos in numerum Deorum indigeorum retulerunt, conſtitutum ad Symetam fuit prope immenſam illam ſcaturiginem aquæ ſemper ebullientis, ex quo efformabantur duo lacus dicti *Crateres* nomine *Dellos*, quos ut implacabiles jurisjarandi vindices venerata eſt antiquitas; quique non leve perhibent in ipſa etiam antiquitate veſtigium *probationis vulgaris* in quam poſtmodum Chriſtiani ſequioribus Eccleſiæ ſæculis decepti forſam a lege *Zelotypiæ* (*Num. cap.* 5.) concordi, ac pene veſano motu irruerunt. De Palicorum Templo loquitur Virgilius (*Æneid.* 9.)

Stabat in egregiis Arcentis filius armis
Pictus acu clamydem, & ferrugine clarus
Ibera
Inſignis facie: genitor, quem miſerat Arcens
Edu-

Eductum Martis luco, Symætia circum
Flumina, pinguis ubi, & placabilis Ara
Palici.

Hercules quoque, etiamſi unicus fuerit ex *Alcumena Jovis* filius; nihilominus geminus in lucem venit cum *Iphiclo* ex eadem *Alcumena Amphitrionis* filio, quemadmodum noſter edicit *Plautus* (*Amphitr. Act. 5. Scen. 1.*).

Ibi me inclamat Alcumena ocius accurro, ut ſciſcam quid velit,
Atque illam geminos filios pueros peperiſſe conſpiſcor.

IV. Unicus tamen non fuit Jupiter, quem ſua fecerint flagitia geminorum patrem; alia etiam Numina geminos ab humanis feminis ſuſcepiſſe confictum fuit. Etenim *Neptunus* ex *Molione* nimpha *Creatum* & *Eurytum* procreavit, qui a matre *Molionides*, ab *Actore* vero ipſorum patre putativo *Actorides* dicti fuerunt. Hi tamen gemini, diverſæ ab aliis naturæ fuerunt; nam non utique in duobus diſtinctis corporibus, ſed in uno dumtaxat gemini fuere; ſiquidem uterque duo capita, quatuor manus, totidemque pedes in uno corpore habuerunt. De quibus quidem dum loquimur, in memoriam redeunt, quæ

de

de prima hominum formatione diſputat *Ariſtophanes* apud *Platonem* in *Convivio*; ubi Comicus ſuo ſerviens ſtylo tertium differit in initio rerum fuiſſe a Luna creatum potentiſſimum hominum genus ex utroque ſexu compoſitum, ſpecie rotundum; circumhabens dorſum & latera, manus quatuor, totidemque crura, vultus item duos tereti cervice connexos, atque omnino ſimiles, caput utriſque vultibus controverſis unum, aures quatuor, pudenda duo, & alia ſingula. Quæ plane omnia licet magis ridicule, quam philoſophice a Poeta dicta fuerint, ut nimirum exinde, a ficta illius promiſcui corporis ſectione, facetam amoris exponeret originem: nihilominus eo *Vandermeulium* forſan adduxere, ut in ſua *Diſſertatione de creatione Mundi* ad diem ſeptimum *Platonis* Rabinorum ſententiam imponeret de primis hominibus *Androgynis*; pene ac divinus hic Philoſophus ſub iis *Timei* verbis, *eſſe autem naturam hominis geminam*; haud dixerit hominum genus fuiſſe a Deorum patre in prima orbis ordinatione creatum hinc marem illinc feminam, ſed contra ſenſerit iſtud promiſcuum, ac duplex fuiſſe, marem videlicet in anteriori, ac feminam in unius ejuſdemque corporis parte poſteriori. At a nimis longa digreſſione ad *Molionide*, a quibus diſceſſimus, redeamus; quibus tantam fuiſ-

fuiſſe potentiam dictitarunt fabulæ, ut magnus Hercules, poſtquam eos ex inſidiis devicerat, in ſignum victoriæ *Ludos Olympicos* Piſis ad *Pelopis* ſepulcrum inſtituerit (*Pindarus Olymp. Od. X.*) *Lares* pariter Gemelli nati ſunt ex *Mercurio*, qui dum Mæchi Jovis juſſis obtemperabat, Mæchus & ipſe effectus eſt, ac nympham *Laram* fruſtra obnitentem vitiavit, ut late narrat *Ovidius* (*Faſtor.* 2.)

Jupiter intumuit quaque eſt nam uſa modeſte
Eripit huic linguam, Mercuriumque vocat
Duc hanc ad Manes: Locus ille ſilentibus aptus
Nimpha, ſed infernæ Nimpha Paludis erit.
Juſſa Jovis fiunt, accepit lucus euntes
Dicitur illa Duci tunc placuiſſe ſuo.
Vim parat hic: vultu pro verbis illa precatur
Et fruſtra muto nititur ore loqui.
Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant
Et vigilant noſtra ſemper in æde Lares.

Mirum inde fit, quod cernitur apud *Gruterum* (*Corp. Inſcript. pag.* 1574.) ubi delineatur tabula marmorea, in qua duo ſub arbore ſedent alter barbatus, alter imberbis, quos tamen pro *Laribus* ſumere cogit ſuppoſita Inſcriptio.

La-

Laribus Augg. Sacrum
C. Sempronius Piſo

Non diſſimilem etiam vim ſentit Nimpha *Chion* a *Mercurio*, atque ab *Apolline*, qui ambo illam compreſſere, gravidamque uno tempore fecerunt alter *Autbolici*, alter *Philemonis* teſtante *Ovidio* (*Metam.* 11.)

Ut ſua maturus complevit tempora venter,
Alipedis de ſtirpe Dei verſura propago
Naſcitur Autbolicus furtum ingenioſus ad omne,
Qui facerem aſſuerat Patriæ non deneger artis
Candida de nigris, & de candentibus atra.
Naſcitur e Phœbo (namque eſt enixa Gemellos)
Carmine vocali clarus cytharaque Philemon.

Boreas tandem ipſe etiam prolem Gemellam habuit ex rapta *Orithia*, quæ illi uno partu *Zetem* & *Calaim* peperit eodem Ovidio fabulante (*ibidem lib. 6.*)

Nec prius aerei curſus ſuppreſſit habenas

 Quam

Quam Liconum tenuit populos, & mœnia raptor
Illic, & gelidi conjux Æthea Tyranni,
Et genetrix facta eſt partus enixa Gemellos,
Cetera qui Matris, pennas Genitoris habebant.

V. A Diis ad Heroas, hominesque deſcendendum nunc eſt. *Jaſon* ex *Hyſipile Thoantis* filia, ſibi dum Argonauticæ expeditioni incumberet in matrimonium in inſula Lemnos collocata, duos habuit filios Gemellos, quorum alter de avi nomine *Thoas* alter vero argo omine *Euneos* fuerunt appellati, de quibus ipſa *Hyſipiles* loquitur penes *Statium* (*Thebaid. lib.* 5. *v.* 464.)

Nec non ipſa tamen thalami monimenta coacti
Enitor Geminos, duroque ſub hoſpite mater
Nomen avi renovo; nec quæ fortuna relictis
Noſſe datum; jam plena quater quinquennia pergunt
Si modo fata ſinunt, alitque rogata Lycaſte.

Pro-

Procles etiam, & *Euriſtenes* filii *Argiæ*, & *Ariſtodemi* Lacedemonum Regis fuerunt Gemelli; eorumque nativitas regnum Lacedemonicum in duos diviſit Reges (*Herodot. in Herat. Cicero de Divin. lib.* 2.) *Laridem*, *Tymbrumque* a *Pallante* morte mulctatos Geminos fuiſſe finxit *Virgilius* (*Æneid.* 10.)

Vos etiam Gemini Rutulis cecidiſtis in Arvis
Daucia Laride, Tyberque ſimillima proles
Indiſcreta ſuis, gratiſque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis diſcrimina Pallas.
Nam tibi Tymbre caput Evandrius abſtulit enſis:
Te deciſa ſuum Laride dextera quærit
Semianimeſque micant digiti, ferrumque retractant

Partus *Romuli* & *Remi* celebritate ſua omnes anteit Geminos partus. Illos autem *Ilia* Numitoris filia uno partu edidit, ut omnes fatentur Hiſtorici, & Poetæ, pro quibus omnibus ſufficiat omnium maximus *Virgilius*. (*Æneid. lib.* 1.)

Donec Regina Sacerdos
Marte gravis Geminam partu dabit Ilia prolem.

Mira, & ſi ulla alia pulcherima, eſt deſcriptio Lupæ eoſdem Geminos lactantis ab eodem Poeta concinnata (*Æneid. lib.* 8.)

Fecerat, & viridi fetam Mavortis in antro
Procubuiſſe Lupam; Geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros & lambere matrem
Impavidos: illam teretio cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Matres Horatiorum, atque *Curiatiorum*, qui ſingulari certamine dimicaverunt fuiſſe ſorores Gemellas, filias quidem *Sequinii* Albanenſis ſcriptum reliquit *Dioniſyus Halicarnaſſeus* (*Antiquit. Roman. lib.* 3.) Expugnatio etiam Sagunti non caruit virtute Geminorum fratrum, quorum mors pateticis enarratur carminibus a *Silio Italico* (*lib.* 2.)

Vos etiam primogemini cecidiſtis in ævo

Eu-

Eurymedon fratrem, & fratrem mentite
Lycorma,
Cuncta pares, dulciſque labor ſua nomina
natis
Reddere, & in vultu genetrici hærere
ſuorum.
Jam fixus jugulo culpatæ ſolverat enſis
Eurymedon inter miſeræ lamenta ſenectæ:
Dumque malis turbata Parens deceptaque
viſis
Quo ruis? huc ferrum clamat, converte
Lycorma,
Ecce ſimul jugulum perfunderat enſe Ly-
corma.
Sed magno quonam Eurymedon furor
iſte? ſonabat
Cum plantu, geminæque notis decepta fi-
guræ
Nomine mutato revocabat funera mater,
Donec tranſacto tremebunda per ubera
ferro
Ceſſit, & ambiguos cecidit ſuper inſcia
natos.

Ambitioſos illos fratres Hipponos, qui de Regno ſingularibus armis contenderunt, fuiſſe Geminos, eoſque ambos in ludibus funeralibus *Scipiadum* occubuiſſe, contra *Livium*, alioſque antiquos Scriptores, qui nec illos

Geminos, nec una ſimul cecidiſſe tradunt, canit idem *Silius Italicus* imitaturus infandum *Eteoclis*, & *Polynicis* fatum. En illius Carmina (*lib.* 16. *v.* 532.)

Hos inter gemini (quid jam non regibus auſum?
Aut quod jam regni reſtat ſcelus?) impia circo
Innumero fratres carea damnante furorem
Pro ſceptro armatis inieruns prælia dextris.
Is genti mos dirus erat, patriamque petebant
Orbati ſolium lucis diſcrimina fratres.
Concurrere animis, quantis confligere par eſt,
Quos Regni furor exagitat, multoque cruore
Exitiata ſimul portantes corda ſub umbras.
Occubuere pari niſu, per pectora ad arctus
Intime deſcendit mucro: ſuperaddita ſævis
Ultima vulneribus verba, & convitia volvens
Dirus in invitas effundit ſpiritus auras.
Nec Manes pacem paſſi: Nam corpora juncta

Una

Una cum raperet flamma, rogus impius, ignis
Diſſiluit, cineresque ſimul jacuiſſe negarunt.

De Geminis ſerviliis inter ſe ſimilimis meminit *Cicero* (*Accadem. Quæſt. lib. 2.*) *Cajum*, & *Lucium Fabricios* ex Municipio aletrinate quorum familiaritate ad ſcelera patranda uſus fuerat *Oppianicus*, Geminos fuiſſe fratres teſtatur idem *Tullius* (*Orat. pro A. Elventio*) *Cajum*, & *Marcum* ex Familia *Aburia* Geminos fuiſſe tradit *Orſinus* (*De Famil. Rom. in familia Aburia*) *Cajum Aquilinum* locupletiſſimum, ac diſſertiſſimum Juriſconſultum Geminos progenuiſſe declarat ſequens Inſcriptio quam refert *Paulus Manutius in explanat. Orat. pro Murena*

L. Aquilius
Jureconſulti Gemellus.

Bella pluſquam Civilia ſuos etiam habuerunt Geminos, quorum unus pertinaciam jam in Maratonica pugna a *Cynegyro* Athenienſi adhibitam ſplendidiori modo, dum maritima pugna apud Maſſiliam pugnabatur, renovavit veluti late cecinit *Lucanus* (*lib. 3.*)

Stant Gemini fratres fecundæ gloria Matris,
Quos eadem variis genuerunt viſcera fatis.
Diſcrevit mors ſæva viros, unumque relictam
Agnorunt miſeri ſublato errore Parentes,
Æternis cauſam lacrymis tenet ille dolorem
Semper, & amiſſum fratrem lugentibus offert;
Quorum alter mixtis obliquo pectore remis
Auſus Romanæ graja de puppe carinæ.
Iniectare manum, ſed eam gravis inſuper ictus
Amputat, illa tamen nixu, quo prænderat hæſit,
Diriguitque tenens ſtrictis immortua nervis,
Crevit in adverſis virtus: plus nobilis iræ
Truncus habet; fortique inſtaurat prælia Leva,
Rapturuſque ſuam procumbit in Æquora dextram;
Hæc quoque cum toto manus eſt abſciſſa lacerto.
Jam Clypeo, teliſque carens non conditur ima

Pu-

Puppe, ſed expoſitus fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuſpide perſtat.
Telaque multorum letho caſura ſuorum
Emerita jam morte tenet, tum vulnere multo
Effugientem animam laſſos collegit in artus,
Membraque contendit toto, quæcumque manebant,
Sanguine, & hoſtilem defectis robore membris
Inſiluit ſolo nociturus pondere puppim

At *Lucanum* præoccupata fefellit opinio; nam cum ſtudioſos partium *Pompei* eſſet, hujus facinoris gloriam Maſſilienſibus tradidit; quando tamen miles ille, qui ſe adeo fortiter geſſit Romanus & *Cæſaris* decimæ legionis præfectus fuit, *Cajus* que *Attilius* eſt appellatus (*Plutarc. in Cæſar. Valer. Max. de fortitudinem* 22.) Turpis amor *Marci Antonii* cum Cleopatra Ægypti Regina duos in lucem eduxit gemellos, ex quibus maſculus *Alexander*, filiola vero *Cleopatra* appellata fuit, addito illi cognomento *Solis*, huic autem *Lunæ* (*Plutarc. in Anton.*) *Thomam Apoſtolum* Gemellum fuiſſe dubitare non ſinit additamentum Didymi, quo undique, ut prædiximus, in *Evan-*

gelio

gelio diſtinguitur (*Joan. Cap.* 11. *v.* 16. *&* *Cap.* 20. *v.* 24.) Eumque revera gemellum fuiſſe communior eſt Scribentium opinio ; quamvis aliqui non deſint, qui putent hoc agnomen ei fuiſſe allegorice attributum ad ſignificandam ejuſdem incoſtantiam, & varietatem ; Alii vero contendant additamentum hoc ſonare in meram explicationem ejus hebræi nominis תאמים : Gemellus quippe hebraico dicitur תאים vel תאימם ; Quidquid in contrarium dicere videatur *Hofmannus*, qui in ſuo *Lexico* innuit Gemellos hebraice nuncupari ךאמלת . Præterea vero Conſules *C. Fuſium*, & *C. Rebelliam Geminos*, quorum anno, ut diximus Servatorem noſtrum in Crucem actum fuiſſe plerique putant, Gemellos fuiſſe dici forſan poteſt. Equidem diverſum ipſorum nomen diverſam gentem, familiamque ſignificat : At ſi diceretur utroſque revera Geminos fuiſſe fratres, ſed aut unum in Familiam *Fugiam*, aut alium in Familiam *Rebelliam* fuiſſe coaptatum? Quid ſi unuſquiſque in ſua Familia geminus fuit? Plane a gemino partu conſueviſſe apud Romanos tale cognomen natis imponi ſatis indigitant *Gemini* fratres *Servilii*, *Geminique* fratres *Aburii* a quibus etiam idem cognomen duxiſſe iſtorum familias obſervant *Vaillantius* (*De Num. Antiquar. Familiar. Roman. in famil. Servil.* §. 9.)

&

& *Urſinus* (*De familiis Roman. in familia Aburia*) Mos quippe Romanorum fuit ab hiſce eventitus cognomina imponere, ut liquet de *Porciis*, *Mentonibus*; *Cæſaribus*, *Agrippis*, *Ciceronibus*, *Vopiſcis*, aliiſque hujuſcemodi.

VII. Principum etiam Romanorum Domus Gemellorum partu auctæ fuerunt; etenim *Livia*, ſeu *Livilla Germanici* ſoror nupta *Druſo* filio *Tyberii* in medio luctu obitus ſui fratris, duos virilis ſexus ſimul enixa eſt, quod rarum, lætumque modicis etiam Penatibus, tanto gaudio *Tyberium* affecit, ut non temperaverit, quin apud Senatum jactaret nulli Romanorum ejuſdem nobilitatis, & faſtigij viro tale quid antea contigiſſe (*Tacit. Annal.* 2. *cap.* 84.) Ex his unus, cujus nomen perhibetur *Gemellus* quadrimus elatus fuit, alter nomine *Tyberius*, itidemque cognomine *Gemellus* fuit adhuc prætextatus ab Avo in Teſtamento datus Coheres *Caligulæ*, qui, ut ſolus rerum potiretur, illum ſubſtulit. (*Sveton. in Calig. cap.* 14.) Præclarum iſtorum Gemellorum numiſma viſitur in *notis Patin. ad Sveton.* (*in Caligul. dict. cap.* 14.) Pariter *Fauſtina*, cum gravida in ſomnis viſa fuiſſet Serpentes parere unum alio ferociorem, peperit apud Lanuvinos *Commodum*, atque *Antonium*, quorum *primus* malo totius Orbis fato in

Evum

Evum vixit, atque ad Imperii faſtigium evectus eſt; *Secundus* quadrimus obiit licet ipſum parem Commodo fratri Mathematici promiſiſſent. (*Lampridius in Commodo cap.* 1.) De Conſtantino Magno quod Geminos habuerit filios *Criſpum*, & *Helenam*, innuit *Lex* 1. *Cod. Theodoſ. Tit. de Indulgen. Crimin.*, in qua leguntur hæc. *Propter Criſpi, atque Helenæ partum omnibus indulgemus præter veneficos, homicidas, & Adulteros*: ob cujus legis verba non procul eſt *Baronius* (*Annal. Eccleſ. ad ann.* 322. *n.* 3.) ut credat *Criſpum* & *Helenam* filios *Conſtantini* fuiſſe Gemellos, eadem die uno partu editos prophereaque unum, eumdemque amborum diem natalitium Imperiali etiam indulgentia erga crimina fuiſſe celebratum; ſed ab eo diſſentit *Gothofredus* (*in Commentar. ad eamdem legem* 1.) qui ex verioribus hiſtoriæ monumentis commentitium oſtendit hujuſmodi Geminum *Criſpi* Cæſaris, atque *Helenæ* partum, atque propterea loco illius verbi *partum*, aliud ſupponit *paratum*, ita ut ſenſus ſit, Indulgentiam erga crimina conceſſam fuiſſe ob iter a *Criſpo*, & *Helena* ad Urbem paratum; Nihilominus ne ipſe quidem poſtmodum de aliquo forſan Geminato Partu legem accipiendam eſſe inficiatur, inquit enim. *Quid ſi tandem id accipiamus de Gemino partu, ſeu prole Fauſtæ Auguſtæ Con-*

jugis

jugis Conſtantini Magni. Pervenit ſane in Jus meum nummus quidam parvus Æreus Flav. Max. Fauſtæ Aug. quæ Conſtantini M. Uxor erat, in cujus averſa parte exhibetur Genius alatus pectore aperto duos infantes, ſeu Gemellum partum exhibens cum hac Inſcriptione Spes Reipublicæ P. Tr. cui conveniunt duo Nummi, quos exprimit Occo pag. 538. *ejuſdem Fauſtæ argentei, & Ærei, in quorum uno Fæmina repræſentatur duos geſtans Puerulos, alterum dexteram, alterum ſiniſtra, in altero ſtans cum duobus puerulis, ſicut hic ſinu continentur, quorum quidem parvulorum uno partu editorum uni Criſpo nomen fecerit, alteri Helenæ, verum mox mortui? Verum de hoc duplici Fauſtæ partu altum apud nos ſilentium*. Impius etiam *Conſtantinus Copronymus* ab *Eudocia* tertia uxore Geminos habuit, quorum altera nomine *Anthuſa* docuit falſum eſſe, quod *ſtirpem primam poſterum ſanguis referat*. (*Seneca in Hyppolito*.) Nam patris Hæreſim horruit, quin immo meruit inter Divos accenſeri. (*Menolog. Baſil. Imper. die* 27. *Jul.*)

VIII. *Marcus*, & *Marcellianus*, qui ſub Diocletiano lanceis transfixi Martirii gloriam conſequuti fuerunt fratres Gemelli extitere. (*Acta Martir. apud Bolland. die* 18. *Jun.*) *Gervaſium*, & *Protaſium* Gemellos fuiſſe decla-

ravit libellus inventus in eorum Sepulcro, cujus verba exſcribit *D. Ambroſius* (*Epiſt. 1. lib. 7.*) De duobus Geminis a ſe cognitis contra Gentiliacos differit *Auguſtinus*. (*De Civit. Dei lib. 5. cap. 6.* Fama eſt *Clodoveum II.* Galliæ Regem duos habuiſſe Geminos a quorum Sepultura inibi extructa nomen ſumpſerit celeberrimum Monaſterium prope Rothomagum, quod vocant *Gemeticum*. Quid autem ſignificat vox illa *Didymus* inſcripta in lapide Sepulcrali *Audoaldi* Ducis longobardici niſi quod Gemellus fuerit? En lapidis carmina.

Sub Regibus Ligaris Ducatum tenuit audax
Audoaldum armipotens claris natalibus ortus,
Victrix cujus dextra ſubegit naviter Hoſtes
Finitimos, & cunctos longe, lateque degentes.
Belligeras domavit acies, & Oſtilia caſtra
Maxima cum laude proſtravit Didymus iſte.

Nolim tamen hic alicui in mentem venire Reges Longobardos in ea dominaviſſe *Liguria*

ria Parte, cujus caput fuit, & eſt *Genua*: Nam liguria vocabatur tunc univerſa fermi Italia, nimirum Gallia Ciſalpina, & Hetruria, uſque ad Pentapolis, ſicut etiam pars Galliæ Tranſalpinæ. *Genua* vero vel nunquam ulli paruit, vel prima omnium Halarum Civitatum ſeſe poſt ruinam Imperii Romani in libertatem vindicavit. Regnante Imperatore Conſtantino Copronymo duo gemini ulti ſunt falſum, quod ſua ipſorum mater dixerat, teſtimonium contra virum Dei *Stephanum*, *Juniorem Anacoretum*, & *Anna* ejus diſcipulam. Illi quippe repente conturbati arreptis maternis mammillis, horrendumque in modum exeſſis, eam protinus necarunt, & pene ac ad id unice nati forent, illico etiam ipſi cum Matre occubuerunt. (*Baron. Annal. ad Ann.* 763. *n.* 13.) *Medardus* Epiſcopus Noviodunenſis, & *Ghildanus* Rothomogenſis Epiſcopus fuerunt fratres gemini uno partu, unaque die nati, una die Epiſcopatum adepti, una mortui, ac una inter Sanctos relati: (*Fulgoſ. lib.* 1.) De his concinnum eſt Epigramma compoſitum ab *Epiſcopo Majolo*. (*Genial. Dieſ. Colloq.* 4.)

Una dies peperit, mitras dedit altera, mortem
Altera, & in Sanctis lectus uterque fuit.

Felices Fratres, quorum communis origo
Vita, Corona, obitus, gloria, feſta dies
Quin communis erat mens. & cor. Dicite ſed vos
Corde uno poſſint corpora bina regi

Periſimile ferme contigit, ſed infeliciori exitu, duobus aliis *Lupo*, & *Apro* fratribus Geminis, in quorum Sepulcro apud Ravenna in Sepulcro *Theodorici* Regis in Maris littore *Templo S. Mariæ Rotundæ*, nunc ferme aquis obruto, ſequentia inſculpta erant Carmina horum infauſtam explicantia hiſtoriam. *Duo Juvanc. Lupi, & Apri*

Una Juvanciæ Domus hos produxit alumnos
Libertatis opus contulit una dies.
Naufraga mors rapuit pariter quos junxerat ante,
Et duplices luctus ſic periniqua dedit.

Catharina Senenſis inter Divos adſcripta ortum cæpit ex *Jacobo Benincaſa*, & *Lapa Piagentis* cum alia Sorore nomine *Joanna*, quæ brevi de medio ſublata eſt. (*Raymund. Capuan. in Vita S. Catharin. p. 1. c. 2.*) De duobus fratribus antiquiſſimæ, ſed nunc extintæ Familiæ *Porcariæ* Romanæ loquitur *Cardina-*
lis

lis Bibiena in Prologo ſuæ Comediæ, cui nomen *la Calandra*. Celeberrimus pariter *Alexander Farneſius* magnum noſtræ Italiæ decus, atque maximum copiarum Hyſpanicarum ſuo tempore columen ſui geminati ortus cum *Carolo* Fratre teſtem habet lapidem marmoreum hic Romæ in atria Templi S. Euſtachii poſitum

MEMORIÆ ÆTERNÆ
GEMINORUM
ALEXANDRI, ET CAROLI,
QUI EX
OCTAVIO FARNEGIO
Par. & Plac. Duce, &
MARGARITA AUSTRIA
CAROLI V. IMPERATOR. AUG. FILIA.
VI. Kalen. Septem. Anno D.
MDXIV.

Uno Partu editi
Ad Sacrum hujus Templi fontem tota
exultante Urbe.
III. Non. Novembris
Salutari Aqua renati ſunt, Capitulum, &
Canonici

D Far-

Farneſiæ Virtuti, quæ in Alexandro Maximis pro Chriſt. Rep. Reb. Geſtis
effulſit
Patriæque gloriam auxit
Dediriſſimi poſuere.
M D C.

Eruditiſſimus vir *Marcus Zueens Boxhornius* anno 1612. Bergizomii in Brabantia Gemellus in lucem prodiit cum *Henrico* altero fratre majori, (*Baſelius in ejus vita.*) *Boccacius* quoque fabellas ſui operis *Decem Dierum*, quod Italice vocatur *Decamerone*, Sparſim Geminis ornavit. *Arioſtus* in ſuo vario poemate *Orlandi Furientis* Geminos fuiſſe effinxit *Bradamantem* ac *Ricciardettum*, pariterque *Rogerium* & *Marfiſam*. *Torquatus Taſſus* de more imitaturus *Virgilium* in ſuo divino Poemate *Jeruſalem Liberatæ*, *Pici* & *Laurentis* Fratrum Geminorum mortem paribus pene verbis pàtetice celebravit. Inter *monumenta Illuſtrium virorum* ædita ab *Anonymo* tabula legitur marmorea Geminorum. Illepidamque etiam *Inſcriptionem* de Geminis verba facientem refert *Boldoinus*. (*Epigr.lib.* 4. *Mem.* 23.)

IX. Et quæ unquam ætas partubus caruit Gemellis? Itaque noſtris temporibus etiam cernimus inviĉtiſſimum ac bene amatum *Ludovi-*

dovicum XV. Galliarum Regem uno ſuſcepiſſe partu, *Aloyſiam Eliſabeth*, nunc cum *Philippo* Hiſpanico Infanti, ac Duce Parmæ & Placentiæ matrimonio junctam, atque *Annam Henricam*. Vidimus *Paulam Odeſcalco* nobilem Matronam Romanam, in qua natura & virtus, quantam poſſent oſtenderunt, uno partu duobus ditaviſſe filiis maſculis Principem *Dominicum Urſinum*, quem nunc poſt fatum uxoris, illo partu e vivis ſublatæ, Romano cintum oſtro avitam cernimus *Urſinorum* gloriam repetentem, ac pietatem renovantem ſui Patrui *Benedicti XIII.* Illorum alter obiit, alter nomine *Philippus* vivit, & in magnam ſuæ vetuſtiſſimæ familiæ creſcit ſpem. Inter feminas Principes de *Rudelſtad* numerantur quoque duæ Gemellæ *Dorothea Sofia*, atque *Aloyſia*. Nec mihi prætereundus eſt partus Geminus alterius nobilis Matronæ Romanæ *Mariæ Annæ Melchioris*, quæ *Joannem Baptiſtam Ciognium* honeſtiſſimum Romanum æquitem ſuum virum, quem honoris & gratia animi cauſa nomino, gemino auxit feminarum partu, quarum altera paulo poſt obiit, altera vivit; quamvis idem partus ne dum geminus, ſed etiam fuerit octimeſtris. Ut inde dignoſcatur, quam inepte de vitalitate octimeſtris partus quæſtio a noſtratibus excitetur.

X. Finis ſit Hyſtoriis Gemellorum, quarum nonnullas, easque celebriores hic retuliſſe ſat eſt. Non enim præmefero omnes ſciviſſe celebres Geminos partus, nec etiam omnes, quorum memoria me non latet enarrare, otium fuit. Igitur huic Capiti finem imponemus *Comædias* recenſendo, quæ circa Geminos lepidiſſime luſerunt. Harum prima quæ in lucem venerit, fuit feſtiviſſima illa Plauti Comædia, cui Titulus *Menecmi*, quæ talem meruit plauſum, ut ſummo cum clamore ab auditoribus flagitaretur, veluti innuit *Comicus Auctor in Prologos* his verſibus.

Menecmo: idem quod alteri nomen fuit:
Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi, flagitarer

Alia etiam Tragicomædia ejuſdem Poetæ; quæ Geminos repræſentat eſt *Amphitruo*, ſed in hac non finguntur revera Gemini, ſed duo Geminorum paria dumtaxat ſpecie & imagine tenus. Nam *Jupiter* in *Amphitrounis* imaginem ſeſe vertit, *Mercurius Soſiæ* ſervi ſumit imaginem. Harum ad exemplum plures noſtra Italiæ Theatra viderunt Comædias de Gemellis; Siquidem Cardinalis *Bibiena*

pri-

primus ut plurimi ſentiunt, qui regulis ſerviens Italico Idiomate Comicum induerit ſoccum illam, de qua paulo ante verba fecimus, edidit Comædiam nomine *Calandra*, quæ vel nihil vel parum differt a *Manecbmis*, *Triſſinus*, qui primus Tragico Cothurno Scænas Italiæ calcavit, auxit etiam ad imitationem *Mænecmorum* Comicas Scænas Comædiam fingendo, cui titulus impoſuit *Li Simillimi*. Pariter *Firenzuola* in ſua Comædia, quam nuncupavit *i Lucidi* ferme e latino in italicum vertit Plautinos Menecmos. Nec diſſimiliter luſerunt *Bernardinus de Atiis* in ſua Comædia *le due Franceſche*; *Joannes Baptiſta Andreini* inter comicos nominatus *Leſius* in geminis Comædiis *la Turca*, e *i due Lelj ſimili*; Ac temporibus magis proximis *Nicolaus Amenta* in feſtiviſſima Comædia *delle due Gemelle*; Ceteriſque ommiſſis, quæ vel inferioris notæ Auctores agnoſcunt, vel ab hyſtrionibus repræſentantur; noſtris hiſce annis pauliſper a Plautinis inventis recedendo, lepidiſſimam ſcripſit Comædiam Advocatus Venetus *Carolus Goldoni* comitus noſtro hoc æro haud illaudatus, quam vulgavit ſub nomine *i due Gemelli Veneziani*. Non tamen prætereundus quoque eſt *Anſaldus Cebà* convivis meus, qui cum pluribus ſuis eruditis operibus celebris fuerit, tum non exiguam ſibi

ſamam comparavit edita etiam nobili Tragedia cui titulus *le Gemelle Capuane*.

De Trigeminis, aliiſque numeroſioris Sobolis Partubus.

CAPUT IV.

I. NULLUS Trigeminorum, aut numeroſioris Sobolis partus in ſacris legitur paginis; At nihilominus, optime argui debet *Numerus Noemicas*, aliaſque primas poſt diluvium feminas numeroſam quolibet partu edidiſſe prolem; Etenim ſi ita non evenit, qui potuit temporibus *Nembrod* pronepotis *Noe* tot terrarum orbis gentibus abundare, ut ipſe imperium Babylonicum condiderit, Turrimque *Babel* ædificare tentaverit, eo ſtipatus hominum numero, cujus diſperſio univerſam terram variis populis, variis linguis, variiſque replevit Monarchiis? (*Geneſ. cap.* 10. *ſeq.*) Quod ſi ratio cogit, ut fateamur proximas diluvio feminas fuiſſe multiparas, eadem profecto ratio dubitare non ſinit. *Feminas Iſraeliticas* in Terra Ægypti, quinos aut ſeptenos ſingulis partubus fœtaviſſe: Septuaginta namque animæ,

quæ

quæ una cum *Jacob* illuc migraverant, ad eum illico numerum exereverant, ut paulo poſt obitum *Joſeph* ab iis Rex Ægypti formidaret, quemadmodum Sacræ enarrant litteræ (*Exod. cap.* 1. *v.* 5. *&* *ſeqq.*) *Erant igitur omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de fœmore Jacob Septuaginta: Joſeph autem in Ægypto erat. Quo mortuo, & univerſis fratribus ejus, omnique cognatione illa, filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis, impleverunt terram. Surrexit interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph; & ait ad populum ſuum: Ecce populus filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt. Venite opprimamus eum, ne forte multiplicetur: & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Septuaginta profecto animæ adeo creſcere potuiſſe niſi ope multiplicium paritionum, certe ſibi nemo ſuadebit. Clara ſane hæc ſunt, at clariora adhuc ſequuntur. Etenim Septuaginta iſtæ animæ non ultra ſpatium biſcentum, & aliquot annorum ſic multiplicatæ ſunt, ut dinumerari in exitu e terra Ægypti, eorum non poſſet exercitus. Veluti idem proſequitur Sacer Textus (*Exod. c.* 12. *v.* 37.) *Profectique ſunt filii Iſrael de Rameſſe in Socoth ſexcenta fere millia peditum virorum abſque parvulis. Sed*

& vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit eum eis. Et alibi pariter (*Judith. c. 5. v. 9.*) *Cumque operuiſſet omnem terram fames, deſcenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, ut dinumerari eorum non poſſet exercitus.* Quomodo autem ſic multiplicari potuerint ſpatio temporis tam exiguo; intelligi profecto nequit, niſi quibuslibet paritionibus triplex, aut quadruplex, aut etiam multiplex ſoboles concedatur; Id quod tribuendum quidem eſt auxilio illius, qui eos voluit valde multiplicari; (*Author Quæſtionum in Geneſ. Q.* 47.) Sed non ita, ut dicamus ipſum a ſuis limitibus deviam egiſſe naturam, quippe ſeptenos partus in Ægypto familiares, ac pene ſolemnes eſſe ediſſerunt *Ariſt.* (*De Hiſtor. animal. lib.* 7. *cap.* 4.) *Columell.* (*De Re Ruſtic. c.* 8. *lib.* 3.) *Plin.* (*Natur. Hiſtor. l.* 7. *c.* 3.) *Senec.* (*Quæſt. Natur. lib.* 3. *cap.* 25.) & *Solin*; (*cap.* 1.) qui hanc Ægyptiarum fœcunditatem repetunt a fœtifero potu Nili, non tantum terrarum, ſed etiam hominum Materna fœcundantis arva: Unde eſt illud *Tibulli*

Fertilis æſtiva Nilus abundat aqua

II. Scio eſſe aliquos, qui hæbreos annis pluſquam quadringentis demoratos in Ægy-

pto

pto fuiſſe ex pluribus Sacræ Scripturæ locis (*Geneſ. cap.* 15, *Exod. cap.* 12. *Judith. cap.* 7. & 13.) eruere contendant; ſed perperam, ut mea fert opinio, quia anni quadrigenti, de quibus in hiſce Scripturæ locis mentio fit, non inchoantur a die ingreſſus Jacob in terra Ægypti; nec deſinunt in diem egreſſus ab eadem, ſed incipiunt a promiſſionibus factis Abrahæ, uſque ad legem Moyſis traditam, ut explicavit *D. Paulus* (*in Epiſtol. ad Galatas c.* 3. *v.* 16.) *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus .... Hoc autem dico teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt quadringentos, & triginta annos facta eſt Lex, non irritum facit ad evacuandam promiſſionem*; proindeque demptis annis, qui interceſſerunt a promiſſionibus Abrahæ ad ingreſſum Jacob in Ægyptum, nec non ab egreſſu ab eodem ad promulgationem Legis, remanent anni ſervitutis Ægyptiacæ paulo plus quam biſcenti. (*Joſeph Antiquit. cap.* 5. & 13.)

Poſt veritatem, fabulæ de more ſuccedunt; Itaque *primum Jovem* ex *Proſerpina* genuiſſe *Tritopatreum*, *Eubuleum*, & *Dyoniſium* qui apud Grajos appellabantur *Anactes*, inquit *Cicero*, (*De natur. Deor. lib.* 3. *c.* 53.) eoſque fuiſſe trigeminos ait *Ptolomeus*. (*De Aſtror. Judic. lib.* 3. *c.* 7. ibique *Cardan. in Not.*) *Leda* pariter a *tertio Jove* in Cygnum verſo adul-

tera-

ta, duo inſtante partu protulit ova, a quorum uno nati ſunt *Pollux* & *Helena*, ab alio autem exierunt *Caſtor* & *Clytemneſtra*: hinc eſt illud quaſi adagium. (*Horatius de Arte Poetica*)

> *Nec Gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.*

Attamen Horatius (*Serm. lib. 2. Serm. 1.*) contra omnium penè aliorum ſenſum inquit *Caſtrorem* & *Pollucem* ovo eodem eſſe prognatos.

> *Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem*
> *Pugnis*

De iis cecinit etiam *Claudianus* (*Paneg. de IV. Conſul. Honor.*)

> *Haud aliter ſummo Gemini cum Patre Lacones*
> *Progenies Lædea ſedent: in utroque relucet*
> *Frater, utroque Soror: Similis clamis effluit auro*
> *Stellati pariter crines: juvat ipſe Tonantem*

Error,

Error, & ambiguæ placet ignorantia Matri.

Muſæ pariter deliciæ hominum ac virorum incrementum, uno fuere utero a *Mnemoſine* portatæ, atque ad numerum novem congreſſionum, quas *Jupiter* cum ipſarum Matre habuit, novem in lucem editæ, ut canit *Heſiod. in Theog.*

Muſæ Olympiades compti Jovis Ægide nati
Mnemoſinæ Soboles oblivio certa malorum
Curumque quies Sacris has Mater in Oris
Pieriæ magno peperit commixta Tonanti,
Mater Eleuteris præeſt, cui Jupiter ullo
Haud divum præſente novem ſub noctibus hæ ſit.
At poſtquam multas annus fuit actus in horas,
Et ſua cœperunt afferre pericula menſes:
Ecce novem ad numerum nocturni pignora fuſti
Uno Mnemoſinæ peperit pulcherrima partu.

Carites, ſeu *Gratiæ* omnes uno partu editas fuiſſe teſtis eſt Ptolomeus; (*De Aſtror. Judic. lib. 3. cap. 7.* ibique *Cardan. in Notis*) Idque mire etiam exprimit elegans Epigramma, quod Romæ

mæ in *Ædibus Columnenſium* inciſum eſt illarum ſimulacro, hoc videlicet diſtico

Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe Sororum.
Par tribus eſt ætas, par quoque forma tribus.

Dyoniſius qui Indiam ſubegit, in lucem una cum *Cerere* & *Core*, quarum illa laborioſa, hæc pulcra fuit, ſimul proditus eſt eodem referente *Ptolomeo* (*ibidem.*)

III. Jam vero, ut a fabulis diſcedamus; nulli in veteri hominum memoria, ſive nativitatem ſpectes, ſive certamen ſingulare mente recolas celebriores ſunt; quam Trigemini *Horatii*, & trigemini *Curiatii*, quos duæ filiæ Gemellæ *Sequinnii* Albanenſis, de quibus *antecedenti capite* verba fecimus primo partu pepererunt. (*Dyoniſ. Halicarnaſs. Antiq. Rom. lib.* 3.) Paucis, ſed admirabilibus verbis eorum pugnam innuit *Manilius* (*Aſtronom. lib.* 1.)

& Horatia Proles
Tota acies partus

Sunt qui innixi verbis *Pauli in Leg. Antiqui ff. Si Pars hæred. pet.* authumaut temporibus hujus

jus Juris Conſulti alios vixiſſe *Trigeminos Horatios*, ipſe enim ait: *Sed tergeminos Senatores, cunctos vidimus Horatios*: ex quibus verbis arguunt, hos eſſe ab antiquis trigeminis diverſos, tum quia J. C. utitur verbo *vidimus*, quod rem ſcribentis tempore præſentem ſignificat, tum quia dicit, hos fuiſſe Senatores, quales illos fuiſſe, nemo penitus aſſeruit. Multi (*Auſtuſtinus de nominibus*. *Fabrottus de numer. Puerper. Everard. Otto Theſaur. Jur. Rud. ind. Leg. antiqui*) hanc abſolvunt difficultatem reſpondendo allatam *Legem* corruptam eſſe, ac emendatione indigere; quorum aliqui propterea verbum *Senatores* mutant in aliud *Servatores* verbum *cunctos*, in aliud *cinctos*, transformant, ut inde verbum iſtud ad fibulam referant, qua forſitan de more ipſi uſi ſunt, dum contra *Curiatios* dimicarent; aliqui vero verba tranſponunt, eaque ſuæ cogunt opinioni deſervire. Ego vero licet ab iſtis facile induci me ſinam, ut credam *Legem* hanc divexatam aliis in verbis ab Amanuenſibus fuiſſe, nihilominus exiſtimo nulla opus eſſe emendatione; ut oſtendatur Paulum hic non agere de *Horatiis* diverſis ab illis, qui contra *Curiatios* dimicaverunt. Etenim quod dicat vidimus, figura eſt ſignificans non ipſum, ſuoſque contemporaneos tunc, ſed Romam, ſuoſque veteres

cives

cives olim conſpexiſſe trigeminos *Horatios*. Quod autem, inquit, illos fuiſſe *Senatores Cunctos*, non inde intelligendus eſt, ac diceret omnes habuiſſe Senatoriam dignitatem, quam forſan habere etiam potuerunt; ſed omnes fuiſſe in Ordine Senatorio, ac Senatoris filios: Sicuti enim *familia Horatiorum* Senatoria, atque Patricia fuit, ut in narratione ſingularis trigeminorum duelli, innuit *Dionyſius* (*Antiquit. Roman. lib.* 3.) & demonſtrat Conſulatus *Horatii Pulvilli* unius ex poſteris trigeminorum, qui cum *P. Valerio Publicola* conſul eo fuit tempore, quo adhuc plebeis via ad conſulatum minime patebat: (*Liv. lib.* 2. *cap.* 8.) Ita inſolens videri nequit, quod temporibus *Pauli*, quibus ob deteriorem Senatus ſtatum, decus erat antiquorum Senatorum filios Senatores dicere, nuncupati fuerint Senatores trigemini Horatii, quamvis actu tales non fuerint. Etenim ne ipſi quidem aurei Sæculi Scriptores abhorruerunt tales dicere filios, quales ipſorum Patres fuerunt, aut eorum ordo futuros præmonſtraverat: Hinc *Virgilius* (*Æneid.* 9.) Regem appellavit *Aſcanium* vivente adhuc *Ænea* Patre

Regemque requirunt

Hinc

Hinc *Paſiphæ* Regis *Ariadnes* filia ab eodem Regina vocatur (*Æneid. 6.*)

Magnum Reginæ, ſed enim miſeratus amorem.

Hic filii *Tarquinii Superbi* tametſi numquam Regno potiti, attamen, quia Regem habuerunt Patrem, ac in ordine regio erant, promiſcue una ſimul cum Patre dicebantur Reges. *Cicer. Philipp.* 3. *&* 5., *ac de Divinat. lib.* 1. *Liv. Decad.* 1. *lib.* 1. *cap.* 55. *& lib.* 2. *cap.* 3.) *Silius Italicus*, qui nihil magnum, nihil glorioſum, quod in antiquis legerit, ferme voluit in ſuo *Poemate* prætermittere, tergeminorum, quos hinc e Sidonia Matre Grecos, illinc Arricinos fingit, pugnam haud diſſimiliter deſcribit hiſce verſibus (*lib.* 4. *v.* 357.)

Tergemini primam ante aciem fera pręlia fratres
Miſcebant, quos Ledaeo Sidonia Barce.
Xantippo felix uteri inter bella crearat.
Res Graję ductorque parens, ac nobile Amyclę
Nomen, & injectus Spartanis colla catenis
Regulus inflabat veteri pręcordia fama.

Mar-

Marte probare genus factiſque Lacona parentem
Ardebant, gelidoſque dehinc inviſere Montes.
Taygeta, & tandem bellis innare ſubactis
Eurotan patrium, rituſque videre lycurgi.
Sed ſpartam penetrare Deus, fratreſque negarunt
Auſonii, totidem numero; quos miſerat altis
Egerię genitos immitis Aricia lucis,
Ætatis mentiſque pares: at non dabat ultra
Cloto dura lacus aramque videre Dianę.
Namque ut in adverſos, impacti turbine pugnę
Eumachus, & Critias, & lætus nomine patris
Xanthippus junxere gradus, ceu bella leones
Inter ſe furibunda movent, & murmure anhelo
Squalentes campos, & longa mapalia complent:
Omnis in occultas rupes, atque avia pernix
Maurus Saxa fugit, conjuxque Libyſſa profuſo

Vagi-

Vagitum cohibens, ſuſpendit ab ubere natos;
Illi dira fremunt, perfractaque in ore cruento.
Oſſa ſonant, pugnantque feris ſub dentibus artus.
Haud ſecus Egeriæ pubes, hinc Virbius acer,
Hin Capys, aſſiliunt, paribuſque Albanus in armis.
Subſidens paullum perfoſſa proruit alvo
Albanum Critias; (aſt illi cuncta repente
Implerunt clipeum miſerando viſcera lapſu)
Eumachus inde Capyn: Sed tota mole tenebat
Ceu fixum membris tegimen; tamen improbus enſis
Annexam parmæ decidit vulnere lævam,
Inque ſuo preſſa eſt non reddens tegmina niſu
Infelix manus, atque hæſit labentibus armis.
Ultima reſtabat fuſis jam palma duobus
Virbius, huic trepidos ſimulanti ducere greſſus
Xanthippus gladio, rigida cadit Eumachus haſta,

Et tandem æquata geminato funere pugna.
Inde alterna viris tranſegit pectora mucro,
Inque vicem erepta poſuerunt prælia vita.
Felices leti, pietas quos addidit umbris!
Optabunt ſimiles venientia ſæcula fratres,
Æternumque decus memori celebrabitur ævo:
Si modo fere diem, ſeroſque videre Nepotes
Carmina noſtra valent, nec famam invidit Apollo.

Nobile æquidem fuit iſtorum Tergeminorum certamen, at nobilius fuit illud, quod anno Chriſti 179. apud *Lingonas* glorioſe pro fide certaverunt cum *Leonilla* Avia trigemini Fratres *Speuſippus*, *Eleuſippus*, & *Meleuſippus* (*Sur. To.* 1. *die* 17. *Januar.*) Denique *Lamyſſius* Longobardorum Rex in lucem prodiit e ſepteno partu cujuſdam meretricis, quæ eum cum aliis ſex ſuis fratribus in Piſcinam conjecerat; (*Paul. Diac. lib.* 1. *c.* 15.) Indeque *Lamiſſy* nomen eſt aſſecutus. *Lama* ſiquidem apud Longobardos idem erat ac Piſcina (*Margarin Dictionar. Longobard. Verb. Lama*.

Præter hos nulli ſane ſuppetunt numeroſi partus, ex quibus in lucem prodierint viri, qui

qui ſibi ſuis factis famam comparaverint. Attamen cum plurima a veteribus, atque a recentioribus afferantur multiplicium paritionum exempla, hinc ut omni me liberem moleſtia, nonnulla libet in medium afferre, celebriorum præſertim *veterum Auctorum* loca de numeroſis partubus agentia. In primiſque in *Florilegio Var. Epigram.* (*lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 42.) legitur Epigramma Triungeminorum, qui ad inſtar Gorgiæ Epirotæ, vivi e matris jam mortuæ utero, prodierunt. Sed cum trigemini partus nec antiquis, nec noſtris temporibus inſolentes fuerint; hinc iis relictis ad numeroſiores pertranſimus. Et plane *Ariſtoteles de Hiſtor. anim.* (*lib.* 7. *cap.* 4.) *Quædam viginti ait partubus quatuor edidit: quinos enim ſingulis partubus enixa eſt, Majorque eorum pars enutriri, & adoleſcere potuit*. Hanc eamdem Hyſtoriam referunt *Plinius Natur. Hyſt.* (*lib.* 7. *cap.* 3.) *Reperitur & in Peloponeſo, quinos quater enixa, majoremque partem ex omni ejus vixiſſe partu*. Itidemque *Antigonus Cacyſtius Hyſtor. Mirab.* (*c.* 119.) *traditumque mulierem quamdam Alexandrinam quatuor partubus viginti enixam* pariter *Phleg. Trallianus rer. Mirab.* (*cap.* 28.) *Antigonus narrat Alexandriæ mulierem quamdam quatuor partubus viginti fætus edidiſſe, pleroſque autem ſublatos, atque educatos*. Et denique *Ter-*

tull. de anima (*cap. 6.*) *Invenitur etiam in Jure Civili Græca quædam quinionem enixa filiorum*. Ex quibus habes quomodo corrigas *Legem Antiqui ff. Si Pars hered. pet. Alioquin tradidere non leves Auctores quinquies quaternos enixam Peloponneſiam*, ubi loco legendi *quinquies quaternos*, legendum eſt *quinos quater*; hoc enim pacto *Paulus* conveniet cum *Ariſtotele*, a quo ſua videtur deſumpſiſſe.

V. Plures etiam numeroſi partus hiſtorias refert *Plin.* (*d. lib. 7. cap. 3.*) *Annis proximis ſupremis Divi Auguſti Fauſta quædam a Plebe Oſtiæ duos mares, totidem feminas enixa famem, quæ conſecuta eſt, protendit haud dubie..... Pompejus Magnus in Ornamentis Theatri mirabiles fama poſuit effigies, ob id diligentius Magnorum Artificum ingeniis elaboratas, inter quas legitur Eutiſchis a XX liberis rogo illata, Trallibus enixa XXX partus* (*cap. 7.*) *Extat in Monumentis medicorum, & quibus talia conſecrari curæ fuit uno abortu duodecim puerperia egeſta*. Hæc eadem aliis narrant auctores. *Solinus* (*cap. 1. & 13.*) meminit partus quatrigemini *Fauſtæ*, & triceenarii *Eutichidis*; ſed in hoc ſecundo labitur, quod dicat mulierem ipſam exhibitam fuiſſe in Theatro, quando omnium Scriptorum conſenſus eſt, Pompeium in ornamentis ſui Theatri poſuiſſe tantum mulieris ſtatuam, quam

a

a *Periclymine* ſtatuario expreſſam ſcribit *Tatianus in Orat. contra Gentes*. *Quid ad me Periclymeni opus Mulierculæ quæ uno partu triginta Infantes peperit, quod plerique miraculum putent? cum potius magnæ intemperantiæ fructus hic exiſtimari deberet, & illa abominabilis videri, utpote ſimilis Scrophæ Romanæ, quæ itidem propter eventum ſimilem ſacrum quemdam cultum conſecuta fertur*. Similia quoque narrat, aliaque ſuperaddit. *Paulus in dicta Lege Antiqui ff. Si pars hered. pet. Nam traditum eſt quatuor puellas a Matrefamilias natas eſſe..... Sed & Lelius ſcribit ſe vidiſſe in Palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta eſſet, ut Hadriano oſtenderetur cum quinque Liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, dicebatur, quintum poſt quadrageſimum diem*. Hanc ipſam de muliere Alexandrina hiſtoriam Scripſerunt *Cajus in lege unum ff. de Reb. dub. Et noſtra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad Divum Hadrianum perducta eſt cum quinque Liberis, quos uno fœtu enixa eſt*. Eſt Auctor *Legis ſi Pater ff. de Solut. Et eſſe mulierem Romæ Alexandrinam ab Ægypto, quę quinque ſimul pepererit, & tunc habuerit incolumes, & hoc in Ægypto affirmatum eſt mihi*, idem afferit *Phlegon.* (*Mirab.* 29.) *Eademque in Urbe alia mulier quinque infantes*

una peperit, *tres maſculos*, *duas feminas*, *quos ſuis ſumptibus ali juſſit Trajanus Imperator*. *Capitolinus* pariter in *Antonino Pio* hæc ait. *Natus eſt*, *& biceps puer*; *& uno partu mulieris quinque pueri editi ſunt*. Tandem *D. Auguſtinus* ſive quiſquis eſt *Auctor quæſtionum vet. & nov. Teſtam.* (*quæſt.* 115.) inquit: *Legitur namque cautum in quodam Juris Libello aliquando mulierem quinque peperiſſe*. In quibus adnotatione dignum eſt *Paulum* dicere, hanc mulierem *Alexandrinam* quatuor uno tempore, & quintum poſt quadrageſimum peperiſſe diem contra fidem omnium aliorum tum Juriſprudentium, tum ſcriptorum tradentium, eam uno partu omnes in diem miſiſſe, unde crederem, vel ipſum errore lapſum falſa narraviſſe, vel hoc etiam eſſe mendum *Legis antiqui*, quam mendoſiſſimam ad nos perveniſſe in hoc ipſo *capite* obſervavimus. Eodem etiam laborant *Phlegon*, & *Capitolinus*; Primus namque dicit *Trajanum* juſſiſſe hanc multiparem Ægyptiam ſuis ſumptibus ali; Secundus rem narrat quaſi obvenerit temporibus *Antonini Pii*, cum tamen hiſtoria hæc, nec ad *Trajanum* nec ad *Antoninum* pertineat, ſed ad *Adrianum*, quo imperante *eam* eveniſſe teſtes ſunt contemporanei Juriſprudentes *Cajus*, *& Auctor Leg. Si Pater*. Supra relati:

VI.

VI. Multiplicem itidem partum excripſit *A. Gell.* (*lib.* 10. *cap.* 2.) *Divo Auguſto imperante, qui temporum ejus hiſtoriam ſcripſerunt, ancillam Cæſarie in Agro Laurente peperiſſe quinque pueros dicunt: eoſque pauculos dies vixiſſe: Matrem quoque eorum, non multo poſt quam peperit, mortuam, monimentumque ei factum juſſu Auguſti in via Laurentina: inque eo ſcriptum eſſe numerum Puerperii ejus, de quo diximus.* Quinarium etiam partum ex *Herophilo* habet *Paulus Ægineta* (*lib.* 3. *cap.* 76.) *Quod plures ſint fœtus: quinque enim viſos prodidit Herophilus.* Et denique refert *Euſtat. ad Iliad.* 1. *Viri cujuſdam Illuſtris Uxorem uno partu novem enixam.*

VII. Hæc ex antiquis auctoribus ſeligere viſum eſt. Quæ vero ex recentioribus adduci poſſunt, ſunt innumera, ac pene incredibilia. Obiter aliqua percurremus. Et primo prolem trigeminam natam fuiſſe narratur *Gallo* illi, cui cum inter ludendum perlatum tribus nunciis uno poſt alium, ſed aliquo inter unum & alium temporis intervallo, fuiſſet, ſuam Uxorem unam femellam mox aliam, inde tertiam peperiſſe, ſubiratus e ludo exurgens, inquit, *Sinite, ut pergam ad occludendam meę uxoris januam, alias exeundi feminas numquam finis erit*, (*Dionisdes Achouchemens lib.* 2. *cap.* 3.) Exempla quadrigeminorum ſunt

apud *Rodiginum* (*Lect. Antiq. obſ.* 56.) Quinquegeminos refert *Bartholinus* (*De Inſol. par. cap.* 18.) Sexgeminos habes penes *Bonettum* (*Medic. Septentr. lib.* 4. *ſect.* 4. *obſerv.* 4.) Septemgemini adducuntur a *Carpo*. (*in Mundinum p. CCXXI.*) Octimelli leguntur in *Petro Borello*. (*Obſerv. Medic. Cent.* 2. *cap.* 44.) Porcelletti e noveno partu Arelatis in Gallia ſuibus ſimiles nati perhibentur a *Fabrotto*. (*Exercit. de numer. Puerper.*) Quindecim fœtus abortiendo emiſſos fuiſſe a quadam muliere dicit *Albucaſes* (*Method. Medic. lib.* 2. *cap.* 75.) Triginta quatuor uno partu editos, ſed vix duodecim in iis vitales, vidiſſe ſua ætate narrat *Harduinus* (*In Commentar. Plin. ad uſum Delphini lib.* 7. *cap.* 3. Triginta ſex edidit Uxor *Ergolai Comitis* in Cracovia (*Elbuſt. Hyſtor. Polon. lib.* 7. *c.* 13.) Magna quidem iſta ſunt. Si enim oculis Æneæ viſum eſt mirabile monſtrum ſus illa littoreis ingens inventa ſub Ilicibus triginta capitum fœtus enixa; Cujus Monſtri ſtri gratia Romani Fanum fecerunt *Laribus Grundulibus*; mirabilius plane videri oportebit feminam ultra tricenos parere. Sed exigua nihilominus dicenda ſunt, ſi comparentur cum iis, quæ narrat *Albertus Magnus*, (*de Anima lib.* 9. *Tit.* 1. *cap.* 5.) nimirum non ſolum mulierem quamdam in Germania conſignatis, conſervatiſque jam in utero duorum,

rum, & viginti infantium corpuſculis abortum feciſſe: Sed etiam aliam ſeptuaginta: imo aliam in pelvim ejeciſſe embriunculorum auricularis digiti magnitudine corpuſcula centum, & quinquaginta, cujus rei facta fides tuniculis, quibus obvolvebantur conſciſſis. Minima vero hæc omnia videbuntur, ſi verus eſt celebris partus Margharitæ filiæ Comitis Hollandiæ, quam anno 1314. uno tot peperiſſe partu perhibetur filios, quot ſunt anni dies, nimirum trescentos ſexaginta quinque promiſcui ſexus, qui omnes ſacra unda conſperſi mares nomen Joannis, feminæ Eliſabethæ nomen tulerunt, moxque cum ſua matre expirarunt. Extat eorum Monumentum in Pago *Lausdun* haud procul a *Lugduno Batavorum*, cujus Marmorea Tabula hiſtoriam hanc perſpicue deſcriptam continet, ſed eam ceteroquin eſse fictitiam ex temporum collatione oſtendit *Petr. Scriverius* (*Antiquit. Patav.*) *Salmaſius* (*ir Epiſt. ad Barthol. de Viis inſolit. Part. cap.* 19. *n.* 6.) tamen eam credibilem reddit ajendo filios eo partu natos ſeptem dumtaxat fuiſſe; totidem namque ſunt diei anni qui in orbem qualibet hebdomada circumvolvuntur. Quid porro dicendum erit de partu mille quingentorum, & quatuordecim fœtuum, quem ſub Friderico II. Imperatore evenise proponit *Avent. lib.* 7. *Annal.*?

Toti-

Totidem profecto forſitan ſub quercu Dodonæa in latis Æginæ Campis non fuerunt formicæ, quas Jovem in Myrmidones transformaſſe fabulis conſignatum eſt. (*Heſiod. in Theogon. Ovid. Metam.* 7.)

VIII. Plura qui velit adeat *Marcell. Donat. lib* 4. *de Medic. hyſtor. mirab. cap.* 24. *Joannem Schench. lib.* 4. *Obſervat. Medic. Henric. Salmuth. Comment. in lia.* 2. *Pancirol. tit.* 10. *Ludov. Bonaciol. de fœtus format. cap.* 6. & 9. *Thom. Bartholin. de Inſolit. par. viis cap.* 19. *Welſchium Obſer. Medic. Epiſagm.* 75. *Bonett. Medic. Septentr. lib.* 4. *Sect.* 4. *Haller. in notis ad Boheraavium Prælect. Accadem. Tit. de Conceptu num.* 63.

Quomodo Gemelli procreentur.

CAPUT V.

Ante quam ad ea deveniamus, quæ Philoſophi de Geminorum ortu differuerunt præſtat obiter prius excurrere ſomnia Aſtrologorum. Hi porro ſicuti feminas gemelliperas tunc naſci authumant, cum in quinta *Horoſcopi* domo adſunt ſigna geminata, ut puta. *Gemini*, *Piſces*, & *Libra*; ita ſub iis etiam Gemellos in lucem mitti tradunt. Hinc eſt illud *Manilii* (*Aſtronom. lib.* 4.)

Nec

Nec ſolus fuerit Geminis ſub piſcibus ortus
Frater erit, dulciſve ſoror Materve duorum.

Hinc natalem Romuli, & Remi non minus, quam ipſius Urbis ſub imperio *Libræ* incidiſſe pariter idem edicit *Manlius* (*d. lib.* 4.)

Heſperiam ſua libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frænat pendentem nutibus orbem,
Orbis, & Imperium retinet, diſcrimina rerum
Lancibus, & poſitas gentes tollitque, premitque,
Qua genitus cum Fratre, Remus hanc condidit urbem.

Neque id ſolum ſed inſuper ajunt *Geminorum ſignum*, ſi quandoque haud Gemellos corpore, ſaltem viros efficere Gemellos animo, videlicet maxime Amicorum Amicos, ut proſequitur *Manlius* his carminibus (*lib.* 2.)

Magnus erit Geminis amor, & concordia duplex:
Magnus, & in multos veniet ſucceſſus amicos.

Quo

Quo in loco erravit *Caranza*, (*de Partu cap.* 18. *ſub num.* 2.) qui illa *Magnus erit Geminis* retulit ad homines Gemellos, non autem ad Geminos cæleſte ſignum, ad quod ceteroquin ea refert Poeta. At hæ meræ ſunt Aſtrologorum nugæ, & digladiationes. Etenim ſydera & aſtra non ſunt, nec eſſe valent cauſæ proportionatæ & efficientes nativitatis hominum, aut impulſivæ motuum animi, quippe quæ vel ad lumen diei, & notis, vel ad cœli pulcritudinem, vel ad efformanda anni tempora fuerunt unice a Deo conſtituta. (*Auguſtinus de Civit. Dei lib.* 5. *Picus adverſus Aſtrolog.*) Experientia autem docet Gemellos quibuslibet ſignis aſcendentibus, & quocumqne anni tempore naſci, veluti pandit ipſum *Remi* & *Romuli* exemplum: Quos non ſolum ſub nullo ex ſignis geminatis vitalem habuiſſe auram animadvertit *Lipſius*; (*in notis ad Manlium d. verſ. Qua genitus*,). Sed imo contra *Manlium* eos natos fuiſſe in ſigno *Virginis* probat.

Veniamus nunc ad Philoſophos. Homines plane ex ovo generari antiquiſſimi Poetæ qui ſapientes tunc erant, videntur ſubodoraviſſe; In eorum quippe figmentis ſcripta legimus Lædæ ova, quæ tanta ferebantur apud antiquos celebritate, ut inter ornamenta Cirei maximi ne illa quidem deeſſent. Ova

quip-

quippe ibi columellis impoſita, quidquid de iis differat *Caſſiodorus*, (*Epiſt. lib.* 3. *Epiſt.* 51.) qui ea ad ſuperſtitionem quodammodo refert; aliud certe non exprimebant niſi *Caſtoris*, & *Pollucis* ex ovo *Cygni Jovis* genitorum nativitatem, memoriamque. (*Panvin. de Lud. Circenſ. lib.* 1. *cap.* 17.) Sed cum iis temporibus anatome ignoraretur, hinc tum ova, tum ipſe Lædeus Partus, fuerunt a Philoſophis inter fabulas recenſita. Itaque qualis fuerit antiquorum de generatione ſententia, nemo penitus non ſcit; iſti namque omnes vel ex fortuita virilis cum femineo ſemine commixtione hominem generari putabant, vel ex effuſione virilis ſeminis, quod in uterum femineum decidens in eodem fæcundaretur, non ſecus ac tritici granum ab aratore in terra ſeminatum ab ea augumentum recipit, ac fæcundationem. At cum gravis eos maxime urgeret difficultas, quommodo ex fortuita illa confuſa ejectione ac mixtione gemini, ac trigemini, multiugeſque etiam fætus concipi valerent; Propterea *Hipocrates* (*de Dieta lib* 1. *Sent.* 83.) in id a Galeno (*in lib.* 5. *Aphoriſmor. comm.* 48.) etiam ſequutus, Cellulas uteri excogitavit, in quas ſemen ſeorſim locum capeſſeret ac ſeſe æqualiter diſpergendo fœtum diſtincte generaret. *Eraſiſtratus* itidem Medicus omnes Geminos ſu-

per-

perfætatione concipi, ac generari ſentiebat ; *Stoici* vero etiamſi non omnes, attamen multos hoc pacto gigni auctores erant ; *Hyppon*, *Empedoles* uno cojtu multitudine ſeminis utrumque uteri ſinum replente provenire Geminos exiſtimarunt . *Aſclepiades* demum non abbundantiæ, ſed vi , ac virtuti ſeminis id tribuebat, ut lati enarrat *Plutarcus* (*De Placit. Philoſoph. lib.* 5. *cap.* 10.)

Horum ſententiæ quanta laboraverint inveriſimilitudine dudum ipſe novit ſtoicus *Seneca*; (*De Benefic. lib.* 7. *cap.* 1.) qui proinde ſibi multiplicis fœtus cauſam incognitam eſſe apertiſſime non eſt inficiatus. Nec immerito; Nam difficile captu eſt quomodo confuſa ſeminis commixtio, aut effuſio hominem generare queat; Imperceptibile vero ſeclusis cellulis, ac ſuperfætatione, quas meram fabulam eſſe in *ſequentibus capitibus* oſtendemus, omnino eſt eamdem fortuitam commixtionem, atque effuſionem ita exacte poſſe in duas, tres, aut quatuor partes ſeorſim dividi, ut multiplicem efformare valeat fętum. Itaque numquam ſatis laude proſequi poterit *Joannes Van-Horne*, qui primus circa femineum uterum ova detexit; Hujus quippe veſtigia ſequentes *Graefius*, & *Suamerdamius* hominem ex ovo generari tam aperte demonſtrarunt , ut nemo amplius de hoc audeat diſputare . Ete-

Digitized by Google

Etenim quamvis non defuerint poſtmodum alii, qui hominum generationem retulerunt vel ad vermiculos utriuſque ſeminis, & præſertim virilis, vel ad moleculas quaſdam actuoſas, & primogenias; Nihilominus hæc omnia videntur potius oculorum illuſiones, ac metaphyſica redolere ratiocinia, quam phyſicam, & Anathomicam veritatem. Præterea autem naturam rapiunt ad impervia, ac difficilia præcipue in generatione Gemellorum quando tamen ea facilioribus omnino delectatur. Quamobrem ſi illorum ſolertia circa femineum uterum ova digito non oſtendiſſet, ita ut hactenus ſola mentis conjectura crederetur hominem ex ovo naſci, profecto ex iſtorum nativitate hanc deceret ſequi ſententiam, qua poſita, quælibet non ſolum circa generationem vitatur confuſio, ſed omnia eaque præſertim, quæ ad Gemellos pertinent; facillime explicantur.

Scire enim vis quonam pacto unus puer naſcatur; En in promptu illico eſt reſponſio: Videlicet unum dumtaxat in congreſſione maris cum femina fęcundatur, ac decidit in uterum ovum. Quomodo autem fæcundetur, & in quo ſtet hujuſmodi fęcundatio; videlicet an totum ſit in ovo, ita ut virile ſemen aliud in eo non inſinuet, quam activitatem, & motum; ſeu potius ora ſint dumtaxat quidam

dam Typi in quos ſeſe virile ſemen diſponat, ac formam, & imaginem capiat, imprimatque; ſeu ea in aliquo ſtet forſan hactenus ignoto principio; præſentis non eſt operis inquirere, nec quidquam noſtra refert. Quemadmodum vero unus tunc concipitur fœtus, cum ex ovario unicum deſcendit ovum, quod ab ingrediente virili fœcundatur; Ita Gemini, & Trigemini, & ſic deinceps eduntur, cum vel duo, vel tria ova diſtincta; vel duo ova inter ſe connata, atque connexa; vel unum ovum duobus, aut tribus, ut ſic dicam vitellis ſeu embrionibus, ſeu ſi movis etiam Typis injutum fœcundatur, ac in uterum decidit; Cujus rei nonnulla etiam non deſunt in Naturæ Phænomenis exempla. Etenim Gallinam cernimuſ, quæ, cum pluribus ſit fœcunda ovis ſingularibus; tum quandoque ova exhibet duplicia duobus, vitellis diſtincta; Sic etiam duplicia Amigdala inter ſe connata uno ſæpe ſæpius eodem latent in nucleo; Sic de uvis duplicibus; Sic de malis Gemellis verba ſuperius fecimus (*cap.* 2.) Sic vetuſtiſſimi Poetæ fabulis, ut jam enarravimus, tradidere, Lædum ex duplici ovo quatuor Geminos peperiſſe, ut inde forſan patefacerent ex ovis diſtinctis, atque ex ovis etiam duplicibus Gemellos generari.

Scire pariter vis cur aliquando, at non ſemper in geminatis partubus naſcantur *Actorides*, vi-

videlicet monſtra fœtuum bicipitum, ac ticorporeorum, quorum unum nuper vidimus elatum hic Romæ in Templum *D. Laurentii in Lucina*? Illico id tibi ova declarant. Id enim tunc accidit cum unum eſt ſimplex ovum geminis repletum Vitellis, ſeu embrionibus, inter quos nulla intereſt membrana, quæ in diverſis loculis ſub diverſa ſecundina fœtus diſcernat; Tunc ſiquidem ex facili utriuſque tenelli fœtus unione, & adhæſione mixta duorum junguntur corpora, non ſecus, ac Ninphæ *Salmaci* ſic votis numina laceſſenti acciſſe fabulatus eſt *Ovidius* (*Metam. lib.* 4.) At id quidem raro evenit, quia raro gemini fœtus naſcuntur ex ovis duplicibus inter ſe connatis; rariſſimi vero ova duplicia habent embriones indiſcretos. Sed ſi vera eſſet antiquata commixtionis ſeminis, ac confuſæ effuſionis opinio ſæpe ſæpius deberent monſtra generari, ac vix eſſet quod duo Gemini inter ſe diſcreti perfecte naſcerentur.

Plurima alia explicanda ſupereſſent, ſed ea vel utpote fabulis proxima prætermittimus, vel breviter percurrimus, quia æqualem in utraque ſententia habent explicationem. Fabulis quippe numerandum eſſe credimus geminos illos relatos a *Bartolino* (*Cant. 6. Hiſt. Anatom. Obſer.* 100. & *de Inſul. Part. c.* 16.) qui narrat repertum fuiſſe in utero infantulæ e

F matris

matris alvo extractæ aliam infantulam: Atque a *Boneto* (*To. 2. in Anaclet. ad Sect. 9. l. 4.*) qui ſimilem eventum de alia tradit puellula, quæ poſt octo a nativitate dies filiolam digito parem peperit. Ea vero quæ æqualem utrimque habent explicationem; hanc equidem in ovorum ſententia magis aptam, atque convenientem habere, nequit in dubium revocari. Nam quæri ſolet cur in *Dioſcuris* in *Serviliis*, atque in cunctis propemodem geminis, qui vel in Poetarum verſibus, vel in Hiſtoriarum luce deſcribuntur, eadem depingatur oris, & corporis forma; adeo ut alter alterius ſpeculum fuiſſe dicatur, proptereaque neque aqua aquæ, nec lac ſit lacti uſpiam ferme ſimilius; quemadmodum ajebat *Plautus* (*Menæcm. Act. 5. Scen. ult.*) Quæritur inſuper cur eadem in utroque gemino corporis viſantur quandoque pathemata, taliter ut uno ægrotante, alter etiam morbo corripiatur veluti Hiſtoriæ demonſtrant, & legimus in libris Medicorum, inter quos *Hippocratas*, teſte *Cicerone* apud D. *Auguſtinum* (*De Civit. Dei lib. 5. cap. 2.*) ſcriptum reliquit ſe ſuſpicatum fuiſſe quoſdam fratres cum ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur, geminos extitiſſe. Facilis tamen hiſce quæſtionibus exitus eſt. Videlicet ova gemella eodem ictu,

ex

ex ovario deſcendunt in uterum, eodem maſculino ſemine fœcundantur, eodemque nutriuntur alimento. Quo circa nil mirum ſi ex primogenia filamentorum formatione, omnia fere quæ ad corpus tum ab extrinſeco, tum ab intrinſeco pertinent, inter ſe habent ſimilia, æqualiaque. Nec propterea mirum quoque eſt, quod in moribus, atque animi pathematibus fiat etiam plerumque uniformes; Quis enim ignorat plurimum in moribus efformandis, atque animi ſenſibus excitandis valere corporis conſtitutionem, atque habitudinem? Adeo ut prodigio adſcribenda fuerit ea difformitas, quæ in *Jacobo* apparuit, & *Eſau* fratribus geminis, ut ſcite advertit Auguſtinus? (*Epiſt.* 54.)

Quæritur etiam cur ſæpe ſæpius evenire ſoleat, ut ex geminis alter moriatur? nimirum quia ſæpe ſæpius accidit quod, vel paternum ſemen in utriſque ovis æqualiter actuoſum non ſit, vel quod alter fœtus majorem, ac ferme totum abſorbeat humorem, & nutritionis copiam in matris utero, unde alterum debilem omnino naſci contingat. Quandoque vero caſu id fit; Nam Puerulos mori nimis frequens eſt; Nec ſemper ex Geminis aut ejuſdem, aut diverſi ſexus alter ſtatim obit, quemadmodum ſignificant plurimæ Gemellorum Hiſtoriæ expoſitæ in ſuperiori (*cap.* 3.)

De Superfœtatione.

CAPUT VI.

I. Superfœtatio, quam aliqui definiunt. *Secundam Conceptionem factam gravida jam exiſtente muliere*, alii vero *Conceptionem ſuper Conceptionem*, plurimum confert notioni Gemellorum: Quamobrem operæ pretium erit aliquanto circa iſtam immorari.

II. Vetuſta ſane, ſi ulla alia, uſpiam eſt opinio ſuperfœtationis; eam namque Heroicis temporibus creditam fuiſſe ſatis probant *Lædæ* ova, *Chionis* partus, *Muſarum* nativitas, ac ortus *Herculis* & *Iphicli*, de quibus jam verba fecimus (*cap.* 3.) Etenim nec *Lædam* duo peperiſſe ova, alterum ex *Jove*, alterum ex *Tyndaro*, nec *Chionem* uno edidiſſe partu *Philemonem* ex *Apolline*, *Autholicum* ex *Mercurio*; nec *Muſas* natas fuiſſe novem diverſis diebus ad numerum novem diverſarum congreſſionum, quas *Jupiter* habuerat cum *Mnemoſinæ*: nec *Iphiclem* ſeminatum extitiſſe ab *Amphitruone* tribus ante menſibus, quam *Jupiter* ſuo compreſſu gravidam *Herculis* feciſſet *Alcumenam* antiquiſſimi fabularum conditores

tores poſteritati mandaviſſent, niſi illam ſibi perſuaſam habuiſſent. Quæ exinde ab omnibus, veluti quid Sacrum, excepta tota firmiſſime inſedit antiquitate. Hinc *Hyppocrates* librum conſcripſit (etſi aliqui male dubitent num ejus ſit) *de Superfœtatione*; eamque pariter tamquam indubiam ubique in ſuis libris ſuppoſuit; Exemplisque etiam confirmavit (*lib.* 1. *de Dieta Sect.* 24. & *Popular. l.* 5. *Sect.* 5.) Hinc *Ariſtoteles* conſtantiſſime ſuperfœtationem aſſerit, ac rationibus, & exemplis ipſe quoque exornat: (*De Hiſtor. Animal. lib.* 7. *cap.* 4. & *de Generat. lib.* 4. *cap.* 5.) Hinc *Plinius* pluribus ab *Ariſtotele* de more mutuatis, atque etiam de more corruptis, eamdem probat: (*Natur. Hiſtor. lib.* 7. *cap.* 11. & *lib.* 8. *cap.* 55.) Hinc denique, ut ſinguli omittantur, quantum memoria recordari poſſumus, plerique primis illis temporibus eam admiſcere. Unus tamen, & forſan primus, qui contra veterum agmen pectus oppoſuit fuit maximus *Auguſtinus*; (*De Civit. Dei lib.* 5. *c.* 6.) cui cum profligandi occurriſſent Caldæi, atque Genethliaci, contre iſtos concludit tantam naturæ vim eſſe, ne cum femina conceperit, deinde alterum concipere omnino non poſſit, propter eaque eadem eſſe in Geminis momenta conceptus; Idemque forſan innuere voluit *D. Paulus*, qui referens Partum Geminum Rebeccæ ſit ait

F 3 (*Epiſt.*

(*Epiſt. ad Roman. Cap. 9.*) *Non ſolum autem illa: Sed & Rebeccha ex uno concubitu habens Iſaac Patris noſtri.*

III. Scio Baptiſtam Pium (*Annot. Prior. cap. 3.*) inſulſum Pedagogum, & Grammaticum inſipientem, alioſque etiam inſcientiæ notaviſſe Maximum *Auguſtinum*, eo quod ſuperfœtationi contradixerit, quibus ut occurreret *Leonardus Coqueus* ejus Commentator (non autem *Ludovicus Vives*, ut male notat *Tyraquell.*) (*De Primogenitur. Q. 1. ſub n. 9.*) inquit illius verba eſſe intelligenda de eo, quod raro fit; Quam quidem excuſationem pro eodem attulit Auguſtino *Jo. Carmes* (*In Commentar. Solini cap. 4.*) Sed male, quia verba ſapientiſſimi Doctoris adeo perſpicua ſunt, ut nulli ſubjaceant interpetrationi. En ipſa. *Sed qualecumque ſit; in ortu valere dicunt. Nunquid & in conceptu, ubi & unum concubitum eſſe manifeſtum eſt? Et tanta naturæ vis eſt, ut cum conceperit femina, deinde alterum concipere omnino non poſſit. Unde neceſſe eſt eadem eſſe in geminis momenta conceptus.* Melius itaque ſeſe geſſerunt *Monachi Maurini*, qui de Auguſtini ſenſu non dubitant, ſed pro veriori, perperam profecto, *Hyppocratis*, & *Ariſtotelis* ſententiam habent.

IV. Poſt hos ſi mihi ſequendus eſſet inleudabilis pragmaticorum ſtylus, plurimi hic

coacer-

coacervandi eſſent ex recentioribus, partim negantibus; partim aſſerentibus ſuperſętationem. At poſt *Hypocratem*, *Ariſtotelem*, & *Auguſtinum* pudet alios hujus diſputationis auctores expiſcare; præſertim cum mihi ſemper diſplicuerit id, quod de Pytagoreis narratur, ipſos non rationum pondere, ſed auctoritate dicentis ſingula quæque definiviſſe. Igitur cum opinioni neganti ſuperſętationem eximia *Auguſtini* auctoritas non deſit, ratio autem unice cohæreat, religio eſt in diverſa abire. Verumtamen cum aſſertores ſuperſętationis ſe in illas ire partes dictitent, in quibus fuerunt veteres Juris conſulti, inde ita præſens dividetur oratio, ut primum oſtendamus nullum ex veteribus Juriſconſultis ſuperſętationem admiſiſſe; ſecundo autem iſtam viro Philoſopho indignam demonſtremus.

V. Et ſane duobus ex fontibus opinio veterum Juriſconſultorum eruitur, nempe *ex Leg. Antiqui ff. Si Pars Heredit. pet.*. atque *ex leg. cum quidam ff. de acquir. vel omitt. hered. Ex prima* quia *Paulus* inibi narrat exemplum mulieris, quæ interiectis inter unam & aliam ſętationem quadraginta diebus, geminatum partum edidit. At mea quidem ſententia, quicumque ab hoc arguere allato velit exemplo Juriſconſultum ſuperſętationi adhæſiſſe hariolabit utique, ſed aliquid certi proferre nunquam po-

 terit;

terit; non enim ex interjectione inter unam atque alteram unius partus fętationem legitime deduci valet ſuperfetatio, *ut ſuo loco oſtendemus*. *Ex ſecunda* autem, quia *Ulpianus* hæc in illa habet: *Putat enim ſicut cum vacuo utero ſuus ex aſſe heres eſt: ita & cum unum gerit, nec per naturam humanæ conditionis alium partum formare poteſt, quod quidem poſt certum tempus conceptionis evenerit, ex parte dimidia, & ignorantem fore*. Unde aſſertores ſuperfętationis arguunt Juriſconſultum affirmaviſſe poſt certum tempus conceptionis alium poſſe formari partum, & ſic ſuperfętationem admiſiſſe: ſed mehercle male arguunt; ſi enim hujus Legis ſervetur lectio eo pacto, quo ex Haloandrina illam modo exſcripſimus, contrarius omnino eſt verborum ſenſus; quoties namque legatur *evenerit*, liquet *Ulpianum* ſenſiſſe naturam humanæ conditionis minime pati, nec præterea unquam eveniſſe, ut poſt certum tempus Conceptionis alius partus formatus fuerit. Nec quidquam faciendæ ſunt Pandectæ Florentinæ, quæ habent *eveniet*, aliæque æditiones præſeferentes *evenit*; Neutro namque ex iſtis poſſe legi, modo evincunt antecedentia *Legis* verba, in quibus J. C. inquit, quod *mulier cum unum gerit, per naturam humanæ conditionis alium partum formare non poteſt*; Si enim ita eſt, quomodo

poſt-

poſtmodum contrarium aſſerere quivit, nempe naturam humanæ conditionis non abhorrere, ut poſt certum conceptionis tempus alius formetur partus?

VI. Ex quo profecto in id adducor, ut credam integrum illud additamentum: *quod quidem poſt certum tempus conceptionis eveniet*, ſeu *evenerit* eſſe unum ex ſolitis plaſmatibus Triboniani, qui ut *Ulpianum* per vim traheret in partes *ſabinianorum*, aut ſaltem a *Proculeianis* retraheret, hæc de ſuo ſuperaddidit. Negat id fortaſſe aliquis? Longus eſſe in hujus defenſione nolo; eumque propterea delego ad *Legis* verba, quæ ſi abſque iſto additamento legantur, concinna, perpolitaque ſunt: En ipſa: *Sicut cum vacuo utero ſuus ex aſſe heres eſt, ita, & cum unum gerit (nec enim per naturam humanæ conditionis alium partum formare poteſt) ex parte dimidia, & ignorantem fore heredem*. Contra vero, ſi cum illo ſcribantur, plena nedum contradictionis ſunt, ut jam diximus, ſed etiam ſentoris referta apparent: En denuo ipſa. *Sicut cum vacuo utero ſuus ex aſſe heres eſt, ita, & cum unum gerit*, quæ ſequuntur intra Parentheſim ſunt concludenda, (*nec per naturam humanæ conditionis alium partum formare poteſt*) rurſus ea, quæ ſequuntur aliam merentur Parentheſim, (*quod quidem poſt certum*

rum tempus conceptionis evenit) ex parte dimidia, & ignorantem fore heredum. Quis autem credat *Ulpianum* virum doctiſſimum adeo contorta, adeo repugnanti, atque adeo confuſa ſintaxi uſum fuiſſe, niſi *Tribonianus* ipſum Tribonianizare coegiſſet? Jam vero, qua fronte potuiſſet *Ulpianus Proculianis*, ut fecit, adhærere tribuendo ſuperſtiti medietatem hereditatis, ſi ſua ex ſententia plures ope ſuperfœtationis naſci ex uno utero ſtatuebat? Quomodo, inſuper ſuperfętationis meminiſſe potuit in ea muliere, quæ ſecundum ſuæ Legis ſuppoſitum, viro jam deſtinata, in viduitate manebat. Sed omnia hæc libentiſſime prætermittimus, ne in re clariſſima diutius quam pars eſt, immoremur:

VII. Igitur omiſſis Juriſconſultis, ad Philoſophos deveniamus. Enim vero mirum omnino eſt, viros Philoſophos, ac prima antiquitatis lumina, ſuperfętationem pro vera habuiſſe: ſed uteumque parcendum ſit *Hyppocrati*, qui in femineo utero locos agnovit, certe ignoſci nequit *Ariſtoteli*, a quo cellularum fabula penitus deſpecta fuit, ut *ſequenti capite* probabimus. Etenim quanam conjectura affirmari poteſt homines ſuperfętare, ſi femineus uterus unicam dumtaxat cavitatem habet? Cetera plane animalia, quæ ſuperfętare certo ſcimus, ut præcipue lepus eſt, a natu-

ra

ra donata fuerunt utero pluribus diſtincto loculis, cellulisque, in quibus interjecto etiam dierum ſpatio, ingredi aura ſeminalis ſejunctim valet, abſque eo quod damnum afferat alteri conceptui jam in alia cellula exiſtenti; Ergo e contrario quoties natura femineum uterum loculis, cellulisque, ut eodem *ſequenti capite* invicte probaturi ſumus, deſtituit, in comperto fit eam noluiſſe homines ſuperfœtare.

VIII. Præterea vero commune eſt Axioma, mulieribus gravidis ita comprimi os uteri, ut ne ſtilum quidem minimum admittat; quoties enim uterus intra ſe recepit fecundum virile ſemen, illico totam ſuam capacitatem contrahit, & claudit os. (*Hippocrat. ibique Galen. lib.* 5. *Aphoriſm.* 51. *Ariſtot. de Hiſtor. Animal. lib.* 7. *cap.* 4.) Ut nimirum evitetur fluxus, qui utero non bene clauſo accideret, atque etiam arceatur a fœtu quodlibet detrimentum, quod ab aere ſubingrediente ipſi immineret. Ergo ſi os clauditur, quomodo aliud ſeminari poterit? Si uterus ſuam capacitatem contrahit ad menſuram lineamentorum fœtus, ubinam alius poterit conſiſtere? Si ideo uterus comprimitur ne eveniat fluxus, neve aer extrinſecus damnum afferat, quomodo fluxus, quomodo damnum ab extrinſeco evitari poterit, cum ſemen virile

violenti quodam impetu ſubingrediens novam in utero affert fęcunditatem, quæ (niſi uterus fingatur grande aliquod Palatium) neceſſario impingens in alium præexiſtentem fętum, eum ſua propemodum indicibili fermentatione corrumperet?

IX. Et revera ſuperfętationis aſſertores, gravidum uterum tunc aperiri ad concipiendam ſuperfętationem dicunt, cum inter fervidiores amoris luctas violentiſſimis mulier agitur convulſionibus, quibus peſſuli, ut ita dicam, uteri franguntur. Et erit qui credat, dum uteri oſtium violenter aperitur, poſſe tenellum fętum jam exiſtentem ſtare quin trudatur in abortum, quando experientia teſte abortus ita facilis eſt, ut unicus ſufficiat irregularis motus feminæ gravidæ, repentinus timor, animi pathema, & denique bonus ſive malus odor. Inſuper autem quomodo in tanto uteri motu ſervari poterit æquilibrium illud, quod ferme ſolum intra uteri Cardines ſuſpenſum retinet fętum, alioquin in præceps agendum?

X. Sed quoniam plurima ex adverſo, ſtantes Authores exclamant eſſe phenomena, quæ ſine ſuperfętatione explicari nequeunt, ea nunc videamus. Atque in primis *Hyppocrates* (*de Superfœt. Sect.* 7.) ajebat gemellos una, eademque ſecundina obvolutos naſci; ex quo infer-

infertur, eos, qui diverſis eduntur involucris, debuiſſe diverſis conceptibus formari. Antiquum hoc fuit ſuperfętationis argumentum, quod quamvis primis illis temporibus, quibus generatio ex ſeminum commixtione credebatur forſan admitti poſſet, nihilominus fuit ab ipſomet *Hyppocrate* (*De Natur. Puer. in fin.*) in dubium revocatum. Nunc autem ita evilluit, atque antiquatum eſt, ut ipſimet ſuperfętationis aſſertores (*Boerhavv. Praelect. Acad.* de *conceptu verb. uni Placentæ ibique Haller. n. 64. & ſeqq.*) ingenue ejus agnoſcant imbecillitatem. Fatentur quippe gemellos omnes, ſuam habere peculiarem ſecundinam, vel inter ſe penitus diſtinctam, vel ita conformatam, ut in una eademque Placenta totidem ſint ſeparati ac diſtincti loculi, quot ſunt fętus, qui ſinguli per totidem ſejunctos, proprioſque funiculos umbilicales utero appenduntur. Nec reapſe aliter evenire poteſt: Nam ſi homines ex ovo generari non dubitatur, equidem ſinguli fętus, aut propriam habent e diverſis ovis ſecundinam, aut ex uno eodemque duplici ovo diverſum in eadem Placenta ſeparatumque loculum, atque funiculum umbilicalem. (*Dionis des Acouchemens liv.* 1. *chap.* 18.)

XI. Aliud quuque ſuperfętationis argumentum, quo utitur *Hyppocrates* (*de ſuperfœt.*

fœt. Sect. 2.) hiſce verbis *ſuparfœtant autem mulieres quarum ſtomacus, id eſt uteri os, poſt primum conceptum non clauditur ita valde*, ab omnibus nunc deſpicitur, neque iis ipſis probatur quibus arridet opinio ſuperfœtationis. Omnes quippe tum iſti, tum illi affirmant, uteri os poſt conceptum illico exactiſſime claudi. Cumque illud nunquam aperiri amplius poſſe ſine abortu tueantur ii, qui ſuperfœtationem negant; tum alii, qui hanc propugnant, ſentiunt aliquando poſt ſeptimum a conceptu diem, poſſe inter violentas amoris convulſiones ſubito per momentum hiare. Utrique enim agnoſcunt, quod ſi uteri os illico exacte non comprimeretur, taliſque non perſiſteret, daretur ἐκρυσις & effluxio prioris ſeminis aut prolapſio fœtus (*Caranza de Partu cap.* 29. *n.* 16.)

XII. Poſt Hyppocratica argumenta ſuccedunt *Ariſtotelica*, quæ *Plinii* etiam ſunt; Itaque *Ariſtoteles* (*De Hiſtor. Animal. l.* 7. *c.* 4.) & *Plinius* (*Natur Hiſtor. lib.* 7. *c.* 11.) duobus ad probandam ſuperfœtationem utuntur argumentis ab hiſtoria petitis. Inquiunt enim aliquando eveniſſe, ut pluribus diebus poſt primam fœtationem, alias in lucem emiſſus fuerit; rurſus autem ajunt *Proconeſiam* diverſo unius ejuſdemque diei coitu, peperiſſe alterum Domino ſimilem, alterum ejus Procura-

cura-

curatori. Primum ex his argumentis, aut falſum ſupponit, aut nullum eſt. Supponit namque quod paritionis tempora ita conſtituta fuerint, ut certa ac ſtabilia ſint, ita quidem, ut proportione aritmetica, tantum conceptus anteceſſerit conceptum, quantum partus antecedit partum. At pariendi tempora omnino incerta, atque inſtabilia ſemper fuerunt; quia nedum quinquemeſtres aut ſemeſtres quandoque eduntur (*Choppinus de Privil. Ruſtic. lib. 3. cap. 8.*) ſed apud omnes convenit naturam non ſemper uno gaudere tempore, quinnimmo, & mox ſeptimeſtris ad partum ducit, atque ita Euryſtheusſteneli filius lucem vidit: (*Apollodor. Biblioth. lib. 2.*) Ita *Corbulo* Neronis Dux prognatus extitit. (*Plin. lib. 7. cap. 5.*) Mox octimeſtrem vitalem effundit, atque ita *Cæſonia* Caii Principis conjux vitalem hauſit auram, (*Plin. eod. lib. 7. eod. c. 5.*) plurimoſque naſci in Inſula Naxos narravit *Aſclepiades*. (*apud Stephan. de Urbib. in Naxo.*) Mox nonomeſtrem perfectiſſimum educit, & ita Redemptorem humani generis *Jeſum Chriſtum* fuiſſe editum probat Chriſoſtomus; (*Homil. in Diem natalem Jeſu Chriſti*) *Joannem* autem natum fuiſſe nono menſe ſignificatur in Evangelio. (*Luc. cap. 1. v. 26. 56. & 57.*) Mox decimeſtrem in lucem affert, atque ita ajebat

ſa-

ſapiens ſe decem menſium tempore coagulatum fuiſſe in ſanguine (*Sapientiæ cap.* 7 *v.* 2.) ita *Jupiter* decem continuos menſes *Bacchum* ſuo femori inſutum geſtaviſſe, Poetæ fabulati ſunt ; (*Lucian, Dialog, Neptun. & Mercur. Horat. in Bacchum.*) quaque etiam luctui peragendo decem menſes olim præſtituti erant. (*Plutarc. in Numa Ovid. Faſtor.* 1. & 3.) Mox ab undecimeſtri non abhorret ; atque ita *Svillius Rufus* diem vidit. (*Plin. lib.* 7. *c.* 5.) Mox duodecimeſtrem etiam admittat, ut de *Gracbo* tradiderut *Grammatici*, eum a gerendo dictum, quod mater ejus duodecim menſibus utero eum geſtaverit. (*Terent. Scatur. de Ortograph.*) Mox denique tredecimeſtrem prodigioſo quodammodo partu edit, ita ut *L. Papirius* ſecundo herede lege agente bonorum poſſeſſionem contra eum dederit, cum mater partum ſe XIII. menſibus diceret tuliſſe ; (*Plinius Natur. Hiſt, l.* 7. *cap.* 5. *Gellius Noct. Attic. lib.* 3. *cap.* 16.) Id quod licet ex corrupto Codice deſumptus contendat *Cuiacius*, (*Ad Novell.* 39. *cap.* 2.) ab omni tamen corruptionis nota nupperime a Gracina fuit vindicatum. (*De Origin. lib.* 2. §. 30.)

XIII. Cum itaque paritionis tempora adeo varia ſint, nulliſque certis contineantur limitibus, ſed ut ajebat *Cæcilius in Plotio.*

Inſolet

Inſolet ne mulier decimo menſe parere ?
Pol nono, etiam ſeptimo, atque octavo,

abſonum profecto eſt ex diverſitate temporum partionis ſuperfętationem arguere; *Faber Conjectur. lib.* 20. *cap.* 1. *n.* 14.) nil enim prohibet quin dici valeat fœtus omnes fuiſſe uno tempore conceptos, ſed unum citius, alium tardius maturaviſſe, quia major humorum copia in unum, quam in alium irrupit, illumque proinde præcociorem citius ad partum veniſſe, hunc tardiorem tardius prodiviſſe, ut contra ipſum *Ariſtotelem* ſenſit *Cæſar Scaligerus*, (*in Notis ad ejuſdem lib.* 7. *de Hyſtoria animal.*) nec diffitetur Boerhavvius : (*Prælect. Accad. Tit. de Conceptu verbo ſuperfœtatio ibique Hallerius*.) Præclaro certe exemplo tritici, ex cujus uno grano plures naſcuntur, & tamen non omnes ſimul eodem tempore ad maturitatem, & perfectionem perveniunt. (*Valverd. Anatom. lib.* 2. *c.* 14.) Præterea etiam in malo punico rubent plura, alia albeſcunt; In Botris ſimile quid cernimus, & tamen eadem genitura ſimul incipiunt. Non diverſimode igitur in fętu mulierum ſoboles grandior oritur, immatura deinde aperit vulvam: ſimul concepti non ſemel ſimul prodeunt, tardant quandoque, & partiis maturitate completur.

XIV. Secundum argumentum a fętuum ſimilitudine petitum ineptum penitus eſt, tum quia varii ſemper agniti fuerunt in effingendis ſimilitudinibus luſus naturæ; tum etiam quia nil habet, quod ſuperfętationem probet: Quod enim *Proconeſia* duplici ſuo amaſio duplicem protulerit prolem omnino ſimilem, referri unice debet ad vim imaginationis, non autem ad diverſam unius, ejuſdemque diei conceptionem: Etenim finge tibi *Proconeſiam* prius cum ſuo *Domino* ſterilem habuiſſe concubitum, poſtea vero fęcundam rem habuiſſe cum *Procuratore*, ea tunc metu Domini agitata, amore Procuratoris detenta, nil mirum ſi gravida facta alteri proli ſigna timoris, alteri ſigna impreſſit amoris: Si vero e contra fingas *Proconeſiam* fuiſſe *a Domino* fęcundatam, res in idem recidet, tunc namque unam prolem ſuo Patri ſimilem formavit, aliam amanti, quem licet abſentem, tamen ſui amoris, ac imaginationis vi tamquam præſentem contemplabatur. Admirabiles namque ſunt imaginationis vires, nedum in formandis effigierum ſimilitudinibus, ſed etiam in mutandis fętibus taliter, ut doctiſſimi viri ſimilitudinis cauſam a ſola imaginatione uſque repetierint (*Ariſtot. Probl. Sect.* 10. *n.* 12. *Plin. lib.* 7. *cap.* 12. *D. Auguſtin. de Civit. Dei l.* 12. *cap.* 25. *Fienus de virib. Imaginat. Q.* 13. & 14.)

14.) Sic *Minotaurus*, ſimilis *Tauro* adultero, ſimul & *Minoi Paſiphæ* viro fuit, ita ut re ad fabulam redacta ipſum finxerit antiquitas. (*Ovid. de Arte lib.* 2.)

> *Semiboremque virum, ſemivirumque Bovem.*

Sic mulieres, quæ ſtatuas adamarunt, prolem iis ſimilem genuerunt. (*Plutarc. de placit. Philoſoph.*) Sic *Caricle*a inter nigros populos alba nata eſt, quia *Perſinæ* ſuæ matri alba ante oculos obverſata picta Andromedæ imago fuit, (*Heliodor. Hiſtor. Ethiop. lib.* 1.) Sic nonnullæ ob fortem Ethiopis imaginationem, nigricantem prolem in lucem miſerunt. (*Hyeron. Quæſt. ſuper Geneſ.*) Sic *Laodices Seleuci* mater anchoram in fæmore filii ſua imaginatione depinxit. (*Juſtin. lib.* 15. *Hiſtor.*) Sic nemo ignorat *Oves Jacobi* ex virgarum, quas in aquis videbant, colore tinxiſſe lanas ſuarum fętationum. (*Geneſ. cap.* 30.) Sic Neptis Nicolai III. Urſini fętum edidit ungulis, ac villis ſimilem Urſis in ſuo ſtemmate viſis. (*Paradin. Hiſtor. Sabaud. in Epilog. ad cap.* 46.) Sic nobiliſſima Virgo Romana adhuc in vivis degens, altera manu mutila & manca nata eſt, quod mater ejus gravida in oculis haberet imagunculam puellæ formoſiſſimæ, cujus ma-

num pictura abſcondebat, & veluti præciſam demonſtrabat. Hæc tamen dicta volumus potius, ut aliis quibuslibet exemplis occuramus, quam ut huic de *Proconeſia* reſpondeamus, quia jam ex ſuperius obſervatis liquet, impoſſibilem fuiſſe duplicem unius diei ex diverſo coitu conceptionem, adſtipulantibus nedum ſuperfętationis hoſtibus; ſed hujus fautoribus, quibus certum manet uterum, ubi conceperit, non poſſe primis ſeptem diebus ſaltem amplius aperiri. (*Caranza de Partu cap. 29. n. 16.*)

XV. At cur ergo mulieres, ſi non ſuperfętant gravidæ virum admittunt, nec illum reſpuunt, ut cetera pleraque animalia non ſuperfętantia? Pudet hic referre *Popiliæ Poppejæ*, quod a pleriſque uſurpatur, reſponſum. Certe feminæ virum non recuſant dum uterum gerunt; adeo ut Zenobia Palmirenorum Regina cum multis nominibus laudetur, tum cæteris præclaris ſuis virtutibus, veluti quid rarum accenſuerit, quod ob eximiam caſtitatem, ne virum ſuum quidem ſciret, niſi tentatis conceptionibus, & cum ſemel concubuiſſet expectatis menſtruis contineret ſe, ſi prægnans eſſet. (*Spartian. in Zenobia.* At id nihil omnino probat; Etenim cur equa, quæ ſuperfętationem etiam neſcit, tempore gravidationis a maſculo non abhorret? (*Ariſtotel.* de

de Hiſtor. Animal. lib. 7. cap. 4.) Cedant igitur adverſarii nobis hujus rationem, & illico nos ipſis rationem illius retribuemus. Verumtamen ipſis etiam ſilentibus nos generoſiores erimus. Nam Bruta cur refugiant coitum non curamus. Mulieres admittunt ad extrinſecas partes humectandas, atque ad levamen uteri, & ſecundinæ in fœtus molimine æſtuantis. Etenim ſeroſitates illæ, quæ tempore gravidationis a Proſtratis, aliiſque glandulis, & venis in collo matricis exiſtentibus fluunt, (*Galen. in Aphoriſm. Hyppocrat. 60. lib. 5.*) tanti non ſunt, ut convenientem ferre illius fervori opem queant.

XVI. Sed ut tandem me ab omni moleſtia liberem, ponenda in medio ſunt omnia, quæ conglobantur a ſuperfœtationis aſſertoribus, quo in loco convocandi omnes ſunt Medici, & Juriſperiti, ut judicent, num ſuperfœtatio magis optata, quam inventa, ac vera videatur. Etenim qui ſuperfœtationem probant, dicunt *primo* uterum, ſtatim ac femina concepit, exacte claudi, quin aperiri ullatenus poſſit, ſed ita clauſum dumtaxat remanere primis ſeptem diebus, poſt quos nil amplius impedimenti eſſe, quominus inter violentas amoris luctas hiare valeat: *Secundo* inquiunt hunc uteri hiatum fœcundum eſſe poſſe ſi fiat intra quadrageſimum a conceptu diem, ſi po-

ſtea fiat, ſterilem eſſe debere; *Tertia* denique tradunt ſuperfœtationem totidem ab utero excludi poſt primam fœtationem diebus, quot inter utramque conceptionem dies intercesſerunt.

17. Fateor, quod ſi ſuperfœtatio aliunde adeo certa eſſet, ut nullatenus poſſet in dubium revocari, oporteret hæc, & majora etiam deglutire; cum enim Deus mundum reliquerit diſputationibus ſuis, hinc nihil eſt in Phœnomenis naturæ ita certum, quod aliquas non patiatur difficultates. Sed cum illa, vel non detur, vel ſaltem maxima in dubietate ſit.

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Quis enim revelavit os uteri primis ſeptem a conceptione diebus exacte claudi, poſtea non amplius? Cur ſi poſtea aperitur, prius etiam aperiri non valet? Quis abſtulit poſt ſeptem dies validiſſimum repagulum illud, quo prius uterus comprimebatur? Quis dixit poſſe primis quadraginta dumtaxat diebus mulierem fœcundari? Quibus ſpecillis viſum eſt poſt quadraginta dies uterum a fœtu intumeſcente repleri, ita ut alteri fœtui locus nullus relinquatur, contra autem antea aliquod

in

in ejus cavitate vacuum manere pro alio fœtu ſpatium? Quis porro mentem tribuit ovulo ſuperfœtato, ut dum e tubulis fallopianis in uterum deſcendit, nec citra, nec ultra progrediatur; ſed locum capiat in ipſo uteri fundo in parte poſtica ovi jam præexiſtentis, ne dum hic paritur, ipſe velut lapis a lapide trudatur? Quis præfinivit naſcendi tempora, ut fœtatio debeat proportione temporis ſuperfœtationem præcedere? Nonne decet ſpeculatorem veritatis ad incertam opinionem tuendam tanta, ac talia obtrudere, quæ ſi negentur nullibi alias probari poſſint? Etenim inficior uterum primis dumtaxat ſeptem diebus exacte clauſum manere, atque ajo poſtea etiam tale adhuc perſtare: probet nunc contrarium ſuperfętationis aſſertor? Per nego uterum unice repleri cum fœtus intumeſcit, proptereaque tunc dumtaxat non poſſe amplius alium fœtum generari, quia locus non eſt ubi conſiſtat; atque affirmo, uterum eſſe animal vagum, ut dicebat *Plato*, (*in Thimeo*) ideoque ſtatim ac concepit, ſeſe contrahere ad menſuram parvuli conceptus, iſtumque hærentibus oſculis amplecti, atque locum nullum vacuum relinquere: oſtendat nunc mihi contrarium ſuperfętationis amator? Nego, ſi ſuperfętatio eſt, non poſſe amplius poſt quadraginta dies ſuperfœtari; Nego, ſecundum

ovulum in poſteriori parte deſcendere; Nego in partu proportionem temporis obſervari, quomodo hæc probabit ſuperfętator? Quamobrem cum hæc omnia nullo modo probabilia ſibi arripiant ſuperfętationis aſſertores, e contra autem negata ſuperfętatione nihil ſit, quod recte non explicetur abſque tot hypotheſibus, atque optantium deſideriis, concludendum profecto eſt cum *D. Auguſtino* tantam eſſe naturæ vim, ut cum femina conceperit, alium deinde concipere non poſſit, unde neceſſe ſit eadem eſſe in geminis momenta conceptus. Quinimmo abſolute dicendum eſt naturæ legibus repugnare, ut alius poſt alium concipiatur; ita quidem ut ſi forte fortuna id unquam accidat monſtro, & portento ſimile putandum foret. (*Faber. Conjectur. lib.* 20. *cap.* 1. *n.* 10. *&* 14.)

De Poſſibili Numero Puerperii, ac multiplicis partus ſucceſſione.

CAPUT VII.

I. Licet experientia nos doceat homines eſſe ut plurimum uniparas, nihilominus cum quandoque eveniat, eaſdem multiparas

paras eſſe; inde vetus Juriſconſultorum dubitatio eſt, *num partus multiplex ſucceſſionis capax ſit*; quam alia e veſtigio ſequitur celebrior quæſtio, *quotnam hereditatis partes attribuendæ ſint filio ſuperſtiti, quando decedente patre, relicta poſt ſe uxore gravida, incertum eſt, quot fœtus ſint ex utero prægnante in lucem prodituri*. Magna enim inter Medicos, Philoſophoſque diſputatio ſemper fuit quotnam valeant uno partu vitales edi fętus, in qua cum & antiqui, & moderni plurima conjectaverint, plurima etiam in medium protulerunt ſomnia non differentium, ſed delirantium Philoſophorum. Itaque ab antiquiſſimis uſque temporibus creditum fuit, quaſdam eſſe, ut jam obiter ſuperius animadvertimus (*Cap. 6. num.* 7.) in femineo utero cellulas, & ſinus ipſeque *Hyppocrates*, etiamſi, ut inquiunt, *nec fallere, nec falli ſciverit*, nihilominus quia.

. . . . . *quandoque bonus dormitat Homerus*.

in hoc miſere lapſus eſt. (*Lib. de Natur. Puer. prope fin.*) Nec diſſimili fuerunt in ſententia ſtoici; quos admiſiſſe ſinus, & locos uteri teſtatur *Plutarcus*. (*de Placit. Philoſoph. Q.* 10. *lib.* 15.) Eademque univerſa ferme ſequuta

ta eſt antiquitas, dempto tamen *Ariſtothele*, cui utcumque hanc imponat *Author Ligit ſi Pater ff. de ſolut. Nam Ariſtotelem ſcripſiſſe quinque naſci poſſe, quia vulva mulierum totidem receptacula habere poſſint*: attamen iſte vere emunctæ naris Philoſophus ab hac de cellulis uteri fabula abhorruit. (*de Generat. Animal. lib.* 4. *cap.* 4. *de Hiſtor. Animal. lib.* 7. *cap.* 4. *Problemat. ſect.* 10. *Probl.* 16.) Id quod tametſi cogere debuiſſet ſcholaſticos in verba Ariſtotelis jurantes, ut cellulas deſpicerent, nihilominus adeo hæ placuerunt ejus ſequacibus, ut uterum in ſeptem loculos diviſerint, ac tres maſculinos in dextera, treſque femineos in ſiniſtra ejus parte, unum vero in medio Hermaphroditis deſtinatum poſuerint; (*Delner. de Jur. Hom. p.* 7. *n.* 2.) Quinimo magnus ſcholaſticus, ſed non magnus hercle Philoſophus *Albertus* (*in lib. de Secret. Vir. & Mulier.*) femineum uterum nucis molem ferme non æquiparantem erexit in quoddam grande Palatium, in quo ſeptuaginta cubicula, ſive atria, ſeu Thalami adeſſent, ubi plurimi fętus locum poſſent capeſſere, atque demorari. Inquit enim: ſeptem eſſe in humano utero cellulas, tres in ſinu dextro, tres in ſiniſtro, atque unum in medio, quarum ſingulæ decem habent rugoſitates, ex quibus, ducto calculo, ſeptuaginta conſurgunt manſio-

ſiones. Adeo verum eſt, humanum ingenium nunquam intra limites ſiſtere, quando experientia deſtitutus, ac ſola fretus ſuæ imaginationis vi, in ea excurrit, quæ ſibi ſunt incognita? Horum certe ſi vera eſt ſententia, facillime poſſibilis numerus puerperii ſtabilitur; quot namque cellulæ in utero ſunt, tot generari, atque ad maturitatem produci fœtus queunt; ſed hanc de cellulis fabulam, quæ ne multum quidem placuit *Galeno* (*de Anatomia Viror.*) irrident & merito Recentiores. (*Veſſal. de Corpor. Human. lib.* 5. *cap.* 15. *Paræus de Hominis Generat. lib.* 23. *cap.* 16.) Nam diligens Anatomicorum ſolertia pandidit, nullos in utero ſinus eſſe, nulla receptacula, nullas cellulas, nullam diviſionem, nullumque ſeptum: ſed unicam ineſſe cavitatem, quæ beneficio lineæ futuram referentis ſecundum longitudinem in dextram dumtaxat, ſiniſtramque partem dividitur; (*Diemerbroech. de Natur. Corpor. human. lib.* 1. *cap.* 26.) In cujus fundo muſculum dumtaxat fibris carneis conſtantem, cui actionem tribuit placentam edito in lucem fęto ab utero ſeparandi, expellendique, detexit *Ruyſchius*; (*Adverſ. Anatom. Decad.* 3.) Quamobrem alio propoſitæ quæſtionis exitus eſt inquirendus.

II. Enim vero ſi fides tribuenda eſt iis, quas ex graviſſimis auctoribus Superiori Capite

pite

pite IV. adduximus de multiplicibus partubus hiſtoriis; quis unquam audebit in tot naturæ luſibus ei terminos ſtatuere, ac infinitam potentiam definire? Attamen unica uteri cavitas unicum dumtaxat poſſibilem naturæ vitalem fętum denotat. (*Tex. in L. cum quidam §. ſuum hæredem ff. de acquir. vel ommitt. hæred.*) Duæ Mammæ duos ex naturæ præſcripto poſſe ſolum fętus edi pluribus ſignificant. (*Zacch. Quæſt. Medic. Legal. p.* 1. *Tit.* 2. *Q.* 8.) Quod ultra tres naſcitur, fere portentoſum aliquibus videtur. (*Cajus in L. utrum ff. de Reb. Dub.*) Quinarius fętuum numerus adeo placet *Hallerio*, ut irrideat majora affirmantes; (*in Notis ad Præelect. Boerravv. Tit. de Conceptu n.* 63.) Romanoſque ideo accendiſſe in nuptiis quinque funalia, quia putabant mulierem uſque ad quinque ſimul parere cum plurimum ſolere, ſcriptis mandavit *Plutarcus*. (*Quæſt. Centur. Roman.*) A ſeptenario non abhorruit *Paulus* Juriſconſultus. (*in L. antiqua ff. ſi Pars Hæred. petat.*) Novem naſci vitales poſſe, multis probare nititur *Joubertus*. (*Error. Popular. lib.* 3. *cap.* 1.)

III. Qui tamen hæc, aliaque ſimilia, quæ conſulto prætermittimus, conſideret, advertatque, quæ, quantæve ſint naturæ vires, deſipere certe omnes illos intelliget, qui mul-

tyu-

tyugæ partionis numerum audent definire; mirabiturque ſemper *Ariſtotelem* qui nullis circumſcribi naturam limitibus poſſe reputavit. Ipſe etenim cum ſibi ante oculos plurimæ, quas affert, obverſarentur hiſtoriæ numeroſi puerperii, cumque naturam humanam ad unitatem fętus pronam plerumque conſpiceret, nil aliud aſſerere maluit, quam ſupremum, atque eximium animal hoc, quod vocamus hominem, ita conſtitutum eſſe ab opifice rerum natura, ut ſingula optima, quæ in aliis animantibus cernuntur, in iſto præſtantiori quodam modo collecta inſimul conſpiciantur; ipſumque propterea rationale animal, veluti cum omnibus aliis ambigens, quandoque eſſe multiparum, ſed ſua maxime natura uniparum eſſe. (*Ariſtotel. de Generat. animal. lib.* 4. *cap.* 4. *&* *de Hyſtor. animal. lib.* 7. *cap.* 4.)

IV. Animadvertendum propterea obiter hic eſt in *Aulum Gellium* (*Noct. Attic. lib.* 10. *cap.* 2.) inquientem, quod *Ariſtoteles Philoſophus memoriæ tradidit, mulierem in Ægypto uno partu quinque pueros enixam: eumque eſſe finem dixit multijugæ hominum partionis: neque plures unquam ſimul geſtos compertum: hunc autem eſſe numerum ait rariſſimum*. Etenim hæc omnia falſa omnino ſunt; Nam *Ariſtoteles* ne ſomniavit quidem ſtatuere quinarium

rium

rium partum, veluti finem multiugæ partionis neque partum hunc rariſſimum eſſe affirmavit; nec tandem plures nunquam geſtaſtos ſimul fuiſſe aſſeruit; Negas? En verba *Ariſtelis*. (*de Hyſtor. Animal. lib. 7. cap. 4.*) *Quod plurimum & locis plurimis agitur; mulieres ſingulos ſingulæ pariunt; ſed ſæpe & locis pleriſque geminos etiam, ut in Terra quoque Ægypto fieri certum eſt. Pariunt etiam tres & quatuor. Et quidem locis nonnullis valde ita fit, quod jam dictum eſt. Sed quinque complurimum naſcuntur; jam enim hoc pluribus eveniſſe conſpectum eſt.* Ab his porro verbis, a quibus ſua deſumpſit *Gellius*, quis inferat *Ariſtotelem* ſenſiſſe quinarium partum eſſe finem multiugæ partionis, hunc autem numerum eſſe rariſſimum? Quis vero aſſentiatur *Gellio* dicenti *Ariſtotelem* aſſeruiſſe plures nunquam ſimul compertos quando *Strabo* ex eodem Ariſtotele iſta producit (*Geograph. lib.* 15. *in India.*) *Ægyptiæ quoque mulieres interdum quatergeminos pariunt. Narrat Ariſtoteles quamdam ſeptemgeminos peperiſſe. Idem Nilum fecundiſſimum vocat.* In quo *Strabonis* loco minime *Septemgeminos* in *quinos*, ut ex ipſo *Gellio* Suſpicatus eſt *Caſaubonus* (*in Strabonem* mutandos eſſe evincit *Euſtathius* qui (*in Dionyſ.* τρίνγησιν) idem cum *Strabone* de *Ariſtotele* profert. *Ideoque mulieres interdum*

qua-

quatergeminos parere, *imo ut refert quoque Ariſtoteles ſeptemgeminos*.

V. Iſtaque edepol viro Philoſopho digna ſunt; quia ſicuti divina ratio, atque potentia naturæ quæ ſummi Protoplaſtes Sapientia eſt, nulla intra ſepta continetur, ita ſtultum propemodum eſſet numerum ſtabilire fętuum, qui quandoque quatuor, quandoque quinque, ſex, ſeptem, & plures etiam juxta inſcrutabiles Providentiæ Leges naſcuntur; (*Albucaſes Method. Med. lib. 2. cap. 75.*) At ſi viro Philoſopho digna ſunt, digniora profecto eſſe debent viro Juriſperito, cujus in rebus præſertim naturalibus magis intereſt factum ipſum conſiderare, quam facti cauſam, aut poſſibilitatem inquirere; Hinc ſi forte fortuna eveniat mulierem quamdam ultra geminos, trigeminos, atque etiam ſeptemgeminos parere, iniquum penitus eſſet, iſtos ad monſtra ablegare, eoſque ſi non cedere ad præſcriptum *Leg. XII. Tabul.* ſaltem a ſucceſſione excludere ſecundum ſanctionem *Leg. non ſunt liberi ff. de ſtatu Hom.*, *& L. quod certatum C. de Poſth. hæred. inſtit.*; non enim cogenda eſt natura, ut vel noſtris, vel *Hyppocratis*, *Ariſtotelis*, aut aliorum Philiſophorum ſerviat ſententiis, ſed noſtras, Philoſophorumque decet ſententias naturæ legibus, atque effectibus deſervire, iſtoſque ita preſſo ſequi pede, ut nefas

ſit

ſit non admittere ad paternam ſucceſſionem omnes quoſcumque filios quolibet numero vivos in lucem eductos; quippe quod ſi uſpiam trigemini, quinquægemini, aut ſeptemgemini, aliique numeroſiores partus aliquo ſunt inſueto vocabulo nuncupandi, certe alio nequeunt inſimulari nomine, quam ſimplicis *Oſtenti*, cujus qualitas hujuſmodi non eſt, ut ſucceſſione privet. (*L. quod dicitus ff. de Liber. & Poſth. L. quod certatum C. de Poſth. hæred. Inſtit.*)

VI. Et plane ea, quæ de partuum vitalitate moveri ſolel, quæſtio, videtur plurimum phyſice peccare, quia natura rerum omnium opifex Hominum, fręna pati nequit; ita ut, quæ antiqui impoſſibilia opinabantur nunc aſſertiora ſint, quam Antipodes, quos univerſa ferme antiquitas inficiabatur. Tum etiam legaliter ferenda non eſt poſt *Sanctionem Juſtinianam*; In qua ſi Pragmatici mentis aciem firmam, immotamque tenerent, plures abiicerent inutiles diſputationes. Videns namque Juſtinianus Juriſconſultos *in L. Septimo Menſe ff. de Stat. Hominum* & *in L. inteſtato 3. §. fin. ff. de ſuis, & legitim. Hæred.* maxime de partuum vitalitate, quoad ſucceſſionem diſputaviſſe. Cernenſque præterea *Sabinianos* cum *Proculianis* de more decertate; *His*, utpote addictis Stoicæ ſententiæ, affirmanti-

mantibus Partum vitalem dici illum, qui recens natus vocem emiſerit; *Illis* vero Platonis, & Accademicorum more aſſerentibus quemlibet partum vitalem dici, cujuſcumque fuerit temporis, & qualitatis, dummodo vivus in lucem prodierit; Ac volens propterea omnes haſce; ut ita dicam tricas, & diſputationes de medio tollere, ſua ſpeciali *Conſtitutione* (*L. quod certatum C. de Poſth. her. Inſtit.*) ſancivit Partus omnes, qui in terram vivi deciderint, ac toti ad Orbem proceſſerint, dummodo ad nullum declinaverint Monſtrum, vel prodigium, ſcilicet, quod duo capita, vel duplicata non habeant principaliora membra, nec belluæ ſpeciem præſeferant, ſuccedere debere in iis hereditatibus, ad quas eos vocabat *edictum Succeſſorium*, & naſcendo etiam paternum rumpere Teſtamentum, ſi videlicet præteriti fuerint; etiamſi vocem non emiſerint, atque poſtquam in terram, vel in manus obſtetricis deciderint illico deceſſerint ſequtus in id *Ulpianum*, qui ex mente *Sabinianorum* ſtatuerat omne humanum animal rumpere paternum Teſtamentum dummodo cum ſpiritu editum ſit, licet ne integrum quidem in lucis auras fuerit progreſſum (*L. quod dicitur ff. de liber. & Poſthum.*)

De Succeſſione Ventris prægnantis cum Superſtitibus.

CAPUT VIII.

1. VIdimus *in antecedenti Capite* Naturam eſſe in formando fœtuum numero ferme incircumſcriptam; Differendum igitur nunc eſt, quid liqueat, quando ſimul ad ſucceſſionem concurrunt ſuperſtes, ac fœtus in utero exiſtens. Hic plane tum ad moram faciendam inferioribus, tum ad ſibi locum faciendum, & uno verbo in omnibus quæ ad ſui commodum pertinent, pro nato habetur (*L. qui in utero 7. ff. de ſtat. Homin. & L. qui in utero 26. ff. Cod. L. quod dicimus 23. ff. de Verb. ſignif.*) Itaque ut jam innuimus, quæri ſolet, qua ex parte ſuperſtes, quando cum eo in eodem proximitatis gradu concurrit venter, reputandus ſit heres, quare ex parte poſſit ipſe vindicare, aut paternos debitores convenire. Quæſtio ſane elegans, quæ Veterum ingenia detorſit, nec a recentioribus multum agitata fuit. Et plane quis audeat impervias futuri tenebras ingredi, ut inde exerat, quanti, qualeſve in lucem prodituri ſint ex utero, qui adhuc prægnans eſt?

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,

Ri-

Ridetque ſi Mortalis ultra
Fas trepidat (*Horat. lib.* 3. *Od.* 29.)
Propterea que *Genus humanum damnat caligo futuri* (*Juven. Sat.* 2.)

2. Hæc profecto conſiderans Prætor ſatius credidit ſeſe ab omni moleſtia liberare incertum excogitando rei incertæ remedium, nimirum indulgendo ſuperſtiti petitionem incertæ partis hereditatis, quemadmodum teſtatum reliquit *Ulpian. in L.* 1. *ff. Si pars hered. pet.* -- *Interdum Prætor incertæ partis hereditatis petitionem indulget idoneis cauſis intervenientibus, ut puta eſt defuncti fratris filius, ſunt & uxores defunctorum fratrum prægnantes, quam partem fratris filius hereditatis vindicet, incertum eſt: quia quot edantur fratrum defunctorum filii incertum eſt. Æquiſſimum eſt igitur incertæ partis vindicationem concedi* -- Sed cum hoc Prætoris remedium parum conſuleret ſuperſtiti, cujus partem interim in ancipiti manere oportebat, nec multum conveniret mentibus Juriſconſultorum, quibus ſolemne erat, certam in libello eſſe debere rei certæ petitionem (*d. L.* 1. *d.* §. *interdum in fin.*), quibuſque præterea non bene olebat in ſuſpenſo relinquere poteſtatem Legis, quæ ſtatim, eſt in primo inſtanti operari debet, nec in ſuſpenſo valet ullo ſtare momento temporis, eamque primo actu, vice, vel deletatio-

ne conſumi par eſt (*L.* 1. §. *Sciendum ff. de Suis & Legitim. Hered.* §. *placebat Juſtit. de Legitim. Agnator. Succeſſ*); Inde plurimas ipſi excogitarunt vias, quibus poſſet incertitudo petitionis evitari, ac rei incertæ certum quodammodo tribui remedium. At dum ipſi nodum ſolvere contenderunt, nodoſiores invexerunt diſputationes.

3. Etenim maxima, ut ſemper, tunc exardebat inter Philoſophos diſputatio de *Fato*, ac *Providentia*; Aliquibus aſſerentibus, omnia, quæ in rerum orbe fierent, certa, atque æterna Lege manáre; aliis vero omnia putantibus incerta, atque caſu contingentia (*Cicero de Fato*, & *Quæſt. Accadem. Grotius de Fato*.) Unde Lucanus (*Pharſalic. lib.* 2.) cecinit

Sive parens rerum cum primum informia
Regna,
Materiamque rudem flamma candente recepit,
Finxit in æternum cauſas, quæ cuncta coercent,
Se quoque Leges tenens, & Sæcula juſſa ferentem
Fatorum immoto diviſit limite mundum;
Sive nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur,

Fert-

Fertque, refertque vices, & habent mortalia caſum.

Hanc igitur ſequentes antiqui noſtri Juriſperiti fatalem diſputationem varios inciderunt in ſcopulos; Quandoquidem *Sabiniani* ſequentes opinionem *Criſippi* ajentis omnia, quæ in rerum natura ſunt, incerta eſſe, ac caſu fieri, putaverunt nihil certi in propoſita quæſtione ſtabiliri poſſe, præſertim cum de multis ugis partionibus tam varia tradita le gerent, ut poſſent fabulis adnumerari. Quamobrem Prætoriæ ferme hærentes incertitudini, ac medium quoddam ſequuti, ut quod fieri non raro admodum poſſet, intuerentur; quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, ſenſerunt quartam partem ſuperſtiti aſſignandam eſſe, eique tribuendam certam quartæ partis hereditatis petitionem, ut definivit *Paulus in L. Sed etſi §. Si Paterfam. ff. de Judic. L. antiqui ff. Si Pars hered. pet.* Imo vero *Author Legis ſi Pater ff. de Solut.* quem ſane non eſſe *Ulpianum*, ut præpoſita notat inſcriptio, ſed alium Juriſconſultum ab eo diverſum; documento eſt alia Ulpiani genuina *Lex cum quidam §. ſuum ff. de acquiren., vel omitten. hered.* author, inquam iſte in dubium revocat, num quarta, ſeu potius ſexta hereditatis pars ſit ſuperſtiti aſſignanda; quemadmodum enim quar-

tam, quia tres; ſic etiam ſextam, quia quinque naſci potuerint; voluit eſſe attribuendam; ea indicta ſuperſtitibus pœna; quod ſi aliter ſeſe gererent in petitione, ab illa caderent hereditatis parte, pro qua heredes fuiſſent; ita namque veteri Jure cautum erat, ut hereditas pro ea parte peteretur; pro qua pertinebat, alioquin plus petentium periculum incurrebatur; & petens cauſa cadebat (§. *Si quis agens Inſtit. de Action. Cujact. Obſervat. lib. 7. cap. 27.*). Contra autem *Proculiani* illam conſectantes fatalem umbram.

> *Quæ caput e cœli regionibus oſtendebat;*
> *Terribili ſuper aſpectu mortalibus inſtans*
> (*Lucret.*)

ac ex *Diodori* Sententia certum in natura ſequendum eſſe authumantes, Prætoris incertitudinem circumſcripſere, ſtatuendo ſuperſtitem pro dimidia interim parte heredem eſſe relicta alia dimidia favore ventris; ut ſcripſit *Ulpian. in L. cum quidam* §. *ſuum heredem ff. de acquiren., vel ommitten. hered.* Quin etiam *Cajus* arbitratus, Poſthumum ſi natus non ſit, minime partem facere, ſtatuit ſuperſtitem ex aſſe heredem eſſe debere, quaſi ab initio ei ſolido relicto, quod poſtmodum ita diviſurus foret, ut uno nato pro virili, duobus natis pro tertia parte, tribus pro quarta, & ſic de cetero heres eſſet *L. utrum ff. de Reb. Jub.*

4. Quid

4. Quid igitur in hoc Juriſconſultorum certamine ſentiendum erit? Certe mihi non arridet ea ab aliquibus excogitata conciliatio, Sabinianos de effectu; Proculianos vero de Jure tantum loqui, quia revera hi de ipſo Juris effectu in concreto, non de Jure in abſtracto verba feceruut (*Ant. Faber in Ration. ſuper L. ſed & ſi reſtituatur §. fin. ff. de Judic.*). E converſo autem viro Catholico ignotum eſſe debet fati nomen; cum omnia ſupremo illius Dei regantur numine, qui Stygias non timet aquas. Attamen etiamſi non multum, ut dixi placeat fatalis ratio *Proculianorum*, nec multum forſan ſolutioni hujus noſtræ Quæſtionis convenire videatur diſputatio de fato; nihilominus ab eorumdem *Proculianorum* Sententia, qua unum dumtaxat naſciturum ſupponunt, diſcedi non poſſe haud inficior: Etenim cum Lex Naturæ doceat genus humanum maxime uniparum eſſe, quamvis multiparum aliquando etiam ſit, profecto non eſt, quod potius cum Mulier uterum geſtat, dici debeat, eam plures parituram, quam unum; ideoque non quia certum ſit unum dumtaxat naſciturum, ſed quia plerumque, & ſecundum communem Naturæ experientiam certius eſt unum oriturum, quam plures, decet tunc, cum Mulier uterum geſtat, medietatem hereditatis tribui filio ſu-

perſtiti; ſi unus ſit; ſi vero plures liberi ſuperſtites, ita eam oportet pro iſtorum numero dividi, ut quantum unuſquiſque capit, tantum pro utero relinquatur. Siquidem *quod plerumque contigit*, *Lex ſequitur* ajebat *Ariſtoteles* (*Ethic. cap.* 8,), & *S. Gregorius Nazianzenus* (*Trat.* 39.) inquit *Legis vim in Eccleſia non obtinere*, *quod raro fit*, quibus conſentanee loquitur *Caſſianus* (*Collat.* 19. *cap.* 8.), præter ea, quæ in noſtris ſanciuntur Legum Codicibus (*L.* 3. 4. & 5. *ff. de Legib. L.* 64. *ff. de Reg. Jun. Imper. in Novell.* 94. *ut ſine probibit &c.*

5. Opponunt *Sabiniani*: Natura quidem ſtatutum quodammodo eſſe, ut unus naſcatur, ſed cum etiam poſſint plures naſci, incertumque ſit an tres naſcantur, inde non rerum naturam, ſed noſtram inſcientiam ſequendam eſſe (*L. Sed etſi* §. *Si Pater fam. ff. de Judic*): At ſi noſtra Inſcientia ſpectanda eſt, cur partus trigeminus, cur quinarius, tamquam partionum finis habendus erit in moderandis ſucceſſionibus, non autem ſeptenarius, aut novenarius, qui aliquando etiam evenerunt, ac num iterum eventuri ſint peræque ignoramus? Contra hæc reſpondent, prudentiſſimos Juris Authores, ideo partum trigeminum ſelegiſſe, ut quod non raro admodum fieri poſſet, intuerentur (*L. antiqui ff.*

Si

Si pars Heredit. petat.). Non diffiteor, quod ſi noſtras haſce Regiones ſpectes, rariſſimus eſt partus novenarius, atque etiam ſeptenarius; verumtamen non admodum quidem frequentes ſunt partus trigemini, aut quinarij, quos ipſi habent in deliciis. Quippe ſi viſis centum mille feminis uterum gerentibus, te in Aruſpicem, ac Vatem erigas, dicaſque nullam ex ipſis geminatum edituram partum, minus a veritate aberrabis, quam ſi afferas, unam ex illis futuram gemelliparam, ſive multiparam. Et revera veteres de Jure reſpondentes, qui omnes in ſuas vocarunt partes multiplicium partuum hiſtorias, nullam de trigeminis aliam ferme adduxerunt, quam celebrem illam Horatiorum, atque Curiatiorum, quos peculiari quodam fato ita natos eſſe in gloriam creſcentis Romani Imperii nemo non ignorat. Quid quod, ſi verum eſt, quod enarravimus in *Superiori cap.* 3. Feminas Ægyptias ob Nilaticam fœcunditatem partus ſæpe ſæpius ædere ſeptingeminos, plane aptari Ægypto hæc nequibit ratio *Sabinianorum*, ideoque ipſorum Sanctio conveniens non erit omnibus Imperii Reginis, ad quæ Romanæ Leges protendebantur.

VI. At urgent partum trigeminum delectum eſſe, ut quoddam medium ſequeretur. Optime ſane ſi inter *plures*, & *nullum* me-

dietas eſſet *tres* ; Sed cum inter *numerum* ; & *nihil* medius ſit *unus*, qui de nihilo particeps quodammodo eſt, quia numerus non eſt; cum numero autem convenit; quia revera nihil non eſt; utique fateri cogimur; medietatem ; quam ſequi in propoſita quæſtione decet, eſſe dumtaxat unum; ſicuti enim mulier gravida poteſt *plures* in lucem mittere, ita etiam *nullum* poteſt parere ; poteſt namque abortum facere ; qui pro non edito reputatur (*L. fin. cap. de Inſtit. & ſubſtitit.*); Et vix eſt, quod a noſtris legibus pro animali habeatur, quia is, qui in utero eſt nondum animal intelligitur (*Leg. 9. ff. ad Leg. Falcid. L. 162. ff. dev. ſignif.*); proindeque *Sabinianorum* argumentum vim plane habet in abſtracto, ſi ſupponatur Mulierem neceſſario aut unum, aut plures pariturum ; ſed ſi hæc negetur, ſuppoſitio corruet omnino; quis namque relevavit, mulierem gravidam fœtum allaturam ad maturitatem? Ergo cum facilius ſit, feminam uterum geſtantem abortum facturam, quam parituram geminos, aut trigeminos; non inde tres fętus, qui medii ſunt inter unum, & quinque, ſed unus, qui medius eſt inter plures, & nullum, ſtatuendus eſt ad ſucceſſionem moderandam: Etenim qui unum dicit, numerum non dicit, ſed tamen aliquid dicit.

VII.

VII. Exploſis argumentis, quæ ab ipſo *Legum Textu* ſuppeditantur, reſtat nunc alia gravior in his non apparens difficultas exonens ex periculo, quod immineret Poſthumis naſcituris; ſi ita, ſucceſſio moderaretur; quia ſi plures naſcantur, & interim ſuperſti medietas hereditatis tributa fuerit; evenire poterit aliquando; eoſdem Poſthumo propriis carituros bonis, quæ a ſuperſtite jam diſperſa reperiri poterunt: Fateor, hanc mihi maxime ſcrupulum facere objectionem; cui non auſim dicere, *Proculianos* non occurriſſe; ſed forſan corruptor Legum Tribonianus cum pro *Sabinianis* ferme militaret; prætermiſit in ſuis Compilationibus remedium excribere quod ab illis huic malo fuerat excogitatum; ſed non inde cogimur potius *Sabinianis*, quam *Proculianis* adhærere; in utraque enim ſententia ſupperadeſt periculum poſthumis naſcituris; prætereaque majora etiam, ſi *Sabinianos* ſequamur, ſunt deglutienda. Etenim etiamſi unice tribuatur ſuperſtiti quarta pars hereditatis eo quod ſupponatur, poſſe naſci tres; nihilominus quid inde fiet, ſi quatuor, aut plures naſcantur? quid ſi quadrans fuerit jam a ſuperſtite diſperſus? Hic certe hæret aqua etiam *Sabinianis*: Verum utique eſt, *Sabinianos* rarius fore in hoc damnum incurſuros, quam *Proculianos*. Sed partus mulie-

tis

ris unicus quotidie accidit; contra autem multiplex raro evenit; unde non eſt, quod vana incerti detrimenti ſuperſtitione certum ſuperſtiti auferatur ſuorum bonorum compendium. Nam ſi ſuperſtes frugi homo ſit, quale unqam damnum ei non erit, in propriis negotiis gerendis, ad manus non habere bona, pecuniaſque, quæ certe uno dumtaxat in utero extante jam ſuæ ſunt? Quid ſi huic in pedes incidat res, ex cujus emptione honeſte centeſimas perpetuo in poſterum habere valeat, nec detur attendere partionis tempus, quo erit occaſio calva? Quid ſi, ut eſt adagium Pragmaticorum, melius ſint hodie ova, quam Gallina cras? Porro etiam ambigere poſſemus, num ſuperſtes hoc intermedio tempore decedens tranſmittat ad ſuos heredes illam hereditatis partem, quam, licet ſua ſit, attamen poſthumo non adhuc nato non agnoverat (*Text. in L. unica §. Si in noviſſimis C. de Caduc. Tollen. L. unice C. de his qui ante apertas tabulas*). Veruntamen hoc prætermiſſo alium faciamus caſum, quod triens hereditatis non ſufficiat ſuperſtiti ad neceſſitatem alimentorum, e contra vero integer ſemis illi ſatis ſit, an ne conſultius erit, ut ſub Glypeo incerti damni Poſthumorum, certo graventur Mater, aut Avus ad alimenta præſtanda potiuſquam ſuperſtiti tradatur id, quod

præ-

præcipue ſuum eſt, quod que ſuum eſſe communior ciamac Naturæ Ordo? At Matet, & Avus poterunt edito partu, detectaque veritate repetere illud, quod indebite perſolverunt. Ita profecto ſit, ſed interim tamen inficiari nequit; rem propriam ipſis ſine facto ſuo abeſſe, proindeque ab eis indebitum vere ex actum fuiſſe contra omnia Juris, atque æquitatis principia (*Caranza de Partu cap.* 18. *n.* 12.).

VIII. His poſitis, quæres primo, quomodo Poſthumi in tuto poni valeant a diſperſione bonorum, quæ patrari quandoque poſſit a ſuperſtite; antequam ipſi naſcantur; juxta ea, quæ ſuperius dubitavimus. Reſpondeo periculum hoc facillime evitari poſſe cogendo ſuperſtitem ad præſtandam interim, dum mulier uterum geſtat, *Cautionem rem ſalvam futuram Poſthumis quatenus plures una naſcantur*. Ita namque in aliis ſimilibus caſibus definitum videmus. Et plane inſtitutus ſub conditione poteſtativa in non faciendo concepta, poteſt hereditatem adire, hujuſque dominium, quod pendente conditione pendere deberet, ſibi ſtatim acquirere præſtita dumtaxat *Cautione Mutiana*, nimirum *rem cum ſuis acceſſionibus ſalvam fore vel ſubſtitutis, vel ab inteſtato venientibus, ſi conditio defecerit Ita* (*L. Mutianæ & L. Titio fundus ff. de Condit. &*

Demonſtr. L. is cui ff. eod.); Ita pariter abrogata *Lege Julia Miſcella* definivit *Juſtinianus* mulierem inſtitutam ſub conditione, ſi nuptui ſe poſt mortem Mariti non collocaverit, poſſe pendente conditione viduitatis, hereditatem capere tradita *Cautione ſe nihil facturam, ex quo deterior evadat conditio hereditatis, eamdemque cum ſuis fructibus reſtituturam, ſi ad ſecundas nuptias acceſſerit* (*L. Ambiguitatis L. Legem C. de Jud. Viduit. & Auth. Multa quidem* §. *enim vero de Nuptiis*). Ita denique creditor recipiens pecunias in concurſu, ne inſcientia hypothecarum ipſi proſit, atque aliis officiat, adigitur ad præſtandam *cautionem* de reſtituendo Prioribus, & Potioribus, & contribuendo cum æqualibus (*L. is, a quo ff. de Rei vindic. L. Procuratoris* §. *fin. & L. Illud quoque 7. ff. de Tributact. L. ex Facto* §. *ſi Dos filio Fam. ff. de Pecul.*).

IX. Quæres ſecundo, quæ nam ſit illa cautio, quam a ſuperſtitibus exigere conveniat pendente Uteri geſtatione. Reſpondeo: Illam ab his tribuendam eſſe, quam a viduis ſub conditione viduitatis inſtitutis pendente conditione exigit Imperator. Igitur ſuperſtes pro re immobili cautionem Juratoriam exponet, & præterea res ſuas opponet hypothecæ; Pro mobili ſi perſona idonea ſit, ſub eadem cau-

tio-

tione, & hypothecis accipiet, ſi vero parum idoneis facultatibus fuerit, fidei juſſorem tradet, dummodo tali non verſetur in difficultate iſtum reperiendi, ut merito inter illas perſonas, à quibus fidelusſor exigi nequit, valeat dinumerari (*Auth. cui relictum C. Ind. Vid. Novella Multæ quidem* §. *enim vero de Nuptiis*).

10. Quæres tertio; cur placeat ſententia *Ulpiani* ſancientis ſuperſtitem ex parte dimidia heredem eſſe, potius quam alia *Caji* ajentis, Poſthumum nondum natum partem minime facere, propiereaque univerſum adjudicantis eidem ſuperſtiti aſſem hereditarium. Reſpondeo rationem in promptu eſſe; quia ſententia *Ulpiani* nedum medietatem ſervat inter plures, & nullum, uti jam probavimus; ſed etiam convenit tam teſtatæ, quam inteſtatæ ſucceſſioni. Finge enim Patrem familias ab inteſtato decedere relicto ſuperſtite, ac ventre prægnante, illico omnem vitabis difficultatem dividendo ex æquo aſſem hæreditarium inter ſuperſtitem, & ventrem; Finge iterum Patrem-familias obire ſcriptis ex æquo heredibus filiis tam natis, quam naſcituris, & pariter nil omnino immorandum erit, quandoquidem tantum pro ventre relinquere oportebit, quantum cuique ſuperſtiti tribuetur. E contra autem opinio *Caij* nec teſtatæ ſatisfa-

tisfacit, nec inteſtatæ convenit hereditati! Non *inteſtatæ*, quia jam *Lege XII. Tabularum* cautum erat, ventrem prægnantem partem facere cum æqualibus in gradu, ac inſequentes remorari, proindeque Poſthumo nondum nato ſuam eſſe ſarctam, tectamque ſervandam partem hereditatis (*L.* 3. §. *utique ff. de ſuis, & legitim. Hered.*): Non ſimiliter *teſtatæ*, de qua J. C. loqui videtur, quia quidquid foret antiquitus, cum diſputabatur, non Poſthumus dicendus eſſet perſona incerta incapax inſtitutionis, ut forſan *Cajus* ſentiebat, ſeu potius certa de incertis capax *ex Lege Draconis, ac XII. Tabul.* inſtitutionis, præcipue ubi res eſſet de Poſthumo ſuo, non autem alieno juxta diſtinctionem elicitam ex formula *Galli* (*L. Gallus Aquilius ff. de liber. & Poſthum.*). Ædepol nunc cum certa manet *Sanctio Juſtinianea*, qua præciſis veterum diſputationibus definitum eſt, fœtum in utero extantem neutiquam inter incertas Perſonas ablegandum eſſe, ſed ſive ſuus ſit, ſive alienus, nedum poſſe, ac debere ab inteſtato ſuccedere; ſed etiam expreſſe inſtitui debere, & poſſe, eidemque legitime legata, ac fidei commiſſa relinqui (§. *Poſthumus Inſtit. de Legat.* §. 1. *verſ. nam ſi alienus Inſtit. de Bonor. poſſeſs.*); plane ſequi ſententiam *Caij* pro nihilo habentis Poſthumum

non-

nondum natum, idem eſſet, ac per illas vagari inutiles veterum ſubtilitates, ex quibus cum, *permulta præclare legibus eſſent conſtituta, ea Juris conſultorum ingeniis pleraque corrupta, ac depravata ſunt*, ut dolebat *Ciceroni in Orat. pro Muræna*, & inquit, *Pompon. in L. verbis.* 120. *ff. de verb. ſignific.*

XI. Quæres quarto, quomodo moderanda erit ſucceſſio, ſi frater decedat extantibus fratrum filiis, & uxoribus defunctorum fratrum uterum gerentibus. Reſpondeo; quod cum etiam nunc, ut antiquitus dividenda ſit hoc caſu ſucceſſio non in ſtirpes, ſed in capita, juxta receptam opinionem *Azonis* contra *Accurſium*; hinc faciendæ erunt tot hæreditatis partes, quot ſunt Capita ſuperſtitum, quotque ſunt uteri prægnantes, ita quidem ut cuique utero cum moderamine tamen ſuperius expoſitæ cautionis a ſuperſtitibus præſtandæ, tanta relinquatur hæreditatis pars, quanta unicuique traditur ex ſingulis ſuperſtitibus.

XII. Quæres quinto, quid dicendum erit ſi Pater moriatur relictis poſt ſe duobus, aut tribus filiis una, & ventre prægnante: filiiſque, & ventri relinquat dumtaxat legitimam, in reliquo vero aſſe aut unum, ex filiis, aut aliquem extraneum inſtituat. Certe ſi ſtatuitur, ut huic uſque diximus, unum dumtaxat pariendum eſſe, ſeparandus erit pro legitima

 triens

triens hereditatis, ſi e contra duo, aut tres ponantur naſcituri, ſegregandus erit ſemis. Quid ergo? Hercle niſi moderamen cautionis ſuppetias nobis ferret, difficili in loco verſaremur: cur enim potius conſuleremus aut extraneo, aut illi filio, qui totum caperet, quam aliis, in quos paterna Charitas ſeſe infeſtam oſtendit? Verumtamen cum nil legitimæ filiorum impendat, quoties ab herede exhibeatur cautio, *ſe præbiturum ſemiſſam hereditatis, quatenus plures naſcantur;* & aliquando etiam contingere poſſit portionem, quam quilibet a triente percepturus ſit, ſuperaturam eſſe legitimam a ſemiſſe detrahendam, quia ſi tres ſint fratres ſuperſtites, certe a triente hereditatis majus pro legitima compendium naſciſcantur, quam ſi ſuppoſito, quod trigemini naſci debeant, medietas totius aſſis ſeparetur, & unicuique ſexta hujus tribuatur Pars: Propterea exiſtimo quidquam proponi non poſſe, quominus pendente uteri geſtatione ſecernendus unice ſit triens pro legitima pene ac unus dumtaxat naſciturus ſit. Sed cum hic res agatur non jam inter filios, & filios ex æquo ſuccedentes, ſed inter filios, & extraneum, ſeu inter filios, inæqualiter inſtitutos, hinc ſeverior exigenda videtur cautio, nimirum illa dumtaxat admittenda, ex qua exponantur hypothecæ omnia heredis

redis bona, atque inſuper exhibeatur idoneus fidejuſſor; proſpicere namque filiorum legitimæ natura cogit (*L. cum ratio ff. de Bon. Damnat. L. omnia C. de Inoffic. Teſtam.*): Teſtatorum vero arbitria proſequi, ac heredes protueri jura ſolum civilia dictitant (*Gl. in L. illa Inſtitutio ff. de Hær. Inſtit.*); Quæ quidem Jura Civilia, quamvis ſeſe in Jure Gentium fundari plerique ſentiant adhuc intellectus vim quodammodo patitur, ut credat Teſtamentorum uſum a legitimo naturalis Juris, ac rectæ rationis fonte profluxiſſe. *Codex Friderici Regis Boruſiæ in Præfat. ad Tom. 2.*

De Primogenitura Gemellorum.

CAPUT IX.

I. QUæ fuerit in hac Diſputatione Hebreorum ſententia facile omnino dignoſcitur ex iis, quæ de gemino partu *Eſau*, & *Jacob*, ac de alio *Phares*, & *Saræ* narrantur in *Geneſi*. *Eſau* namque præpoſitus in Primogenitura fuit, etiamſi per momentum temporis præceſſerit *Jacobum* (*Geneſ. Cap.* 25.); *Phares* quoque Jura Primogenialia eripuit, quia totus in lucem fuit progreſſus ante *Saram*, qui tamen prius manum ex utero in

ipſa Partus effuſione protulerat (*Ibidem cap.* 38.). Unde merito illum ex Divinarum Scripturarum ſententia eſſe Primogenitum, qui Primo natus fuit dixit *Hieronymus* (*In Cap. Joſeph de Verb. Signific.*). E contra autem immerito *Jacobum* a mendacio aliqui excuſare contendunt, ajendo eum rite, recteque ſe Primogenitum Patri cæcutienti dixiſſe, ea ducti ratione, quod in Gemellis ſecundo natus, veluti primo conceptus Primogenitus revera ſit; Etenim cum apud Hæbreos certa maneret ſententia Primogenitum in Gemellis illum eſſe, qui totus in lucis auras egreſſus fuit, ambigi profecto nequit Jacobum mendacio ſeſe erga Patrem irretiſſe; niſi eum a culpa excuſet, vel emptio Primogenituræ antea ſecuta, vel tropicus, ac Profeticus verborum ſenſus (*Auguſtinus lib. Un. contra mendacium cap.* 10.).

II. Qualis autem Etnicorum fuerit Græcorum præſertim, & Romanorum in propoſito ſententia difficile dictu eſt; nullam namque iſti legem, quæ huc ſpectet, Poſteris mandaverunt; nihilque litteris conſignarunt, ex quo certo erui valeat quid iſti ſentirent. Exempla vero Geminorum rem quoque in medium relinquunt; Nam prius *Caſtor*, & *Pollux* inde ejectis Pelopidibus *Euriſtenes*, & *Proclis* fratres Gemini ex familia Heraclidarum inſimul

La-

Lacedemone regnaverunt: *Romulus* pariter & *Remus* pares auctoritate, ac dignitate habiti fuerunt, nec ille huic ob nativitatis, quæ ignorabatur Prioritatem, ſed avium dumtaxat auſpicio fuit in urbis ædificatione præpoſitus. His tamen tenebris facem aliquam præferre valet Hiſtoria *Euriſtenis*, & *Proclis*, quam hiſce verbis latine redditis narrat *Herodotus* (*in Herato*) *Lacedemonji nulli Poetarum aſſentientes negant ſe in eam, quam nunc poſſident, Regionem ductos a filiis Ariſtodemi, ſed ab ipſo Ariſtodemo; & poſt non multo Ariſtodemi Uxorem, nomine Argiam peperiſſe Geminos, eiſque conſpectis Ariſtodemum morbo deceſſiſſe. Lacedemonios autem, qui tum erant inito conſilio creaſſe Regem e Pueris eum, qui eſſet Primogenitus, ut Lex jubebat. Hinc igitur neſcientes utrum eligerent; quum eſſent ſimiles, ac pares; idque nequirent ſcire, aut etiam ante hoc tempus fuiſſe percunctatos Genitricem, ea quoque ipſa negante ſe dignoſcere, & ſi optime noſſet illa aperire; quod ſuperet ambos effici Reges; ita de hoc dubitantes Lacedemonios miſiſſe Delphos ſciſcitatum quid in ea re agerent; & iis Pitiam imperaviſſe, ut utrumque puerorum Regem ducerent, ſed Primogenitum magis honorarent: Hoc reſponſo a Pitia edito Lacedemonios nihilominus incertos, quo pacto Primogenitum reperirent admonitos fuiſ-*

ſe a Meſſennio, cui nomen Rannites, ut obſervarent, utrum puerorum Mater priorem lavaret, cibaretque, quam ſi deprehenderent eodem ſemper modo factitare; illos vero habituros id omne, quod quærerent, & vellent invenire: Si & illa alternando erraret palam eis fore; ne ipſa quidem quippiam magis noſſe, & ut iſti aliam rationem inirent. Hi Spartiates ex admonitu Meſſenni obſervantes Matrem Ariſtodemi puerorum, ignaram cur obſervaretur, atque animadvertentes illam uno modo præferentem Primogenitum, tum cibando, tum lavando, accepiſſe puerum, qui bonorabatur a Matre tamquam Primogenitum; publiceque alendum curaſſe impoſito ei nomine Euriſtene juniori Procle. Ex hac igitur filiorum Ariſtodemi hiſtoria non obſcure emicare videtur illum fuiſſe pro Primogenito a Spartiatibus habitum, qui primus in lucem editus fuerat, nam quantum ex verbis ſupra allatis aſſequi poſſumus, arguere libet illum, cui mater omnium rerum prioritatem conferebat, eum fuiſſe, qui prioritate nativitatis ſibi primas aliis omnibus in rebus dari ſuo quodammodo jure vindicaverat.

III. Qualiſcumque tamen fuerit iſtorum opinio, certum plane eſt eam poſt divulgatum in foro jus Primogenituræ, pacifice obtinuiſſe, atque nunc etiam obtinere ſententiam,

tiam, quam *Sacræ litteræ* nobis emandarunt. Nam illum eſſe Primogenitum, qui primus, totuſque in lucem progreſſus eſt ad excluſionem illius, qui ſecundo loco egreditur, quamvis aliquod etiam membrum prius protulerit nullus eſt, qui amplius dubitet (*Joannes le Civier de Primogenitur. quæſt.* 1. *lib.* 1. *Tyraquel. de Primogenitur. quæſt.* 1. *num.* 8. & *quæſt.* 17. *Giurba de Feudis cap.* 11. §. 2. *Gl.* 4. *ſub n.* 26. *Molin. de Primogen. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. & *ſeq. Zacchias quæſt. Medico-Legal. lib.* 9. *Tit.* 12. *quæſt.* 1. *n.* 7. *Carolus Molineus in conſuetudines Pariſienſ. tit.* 1. §. *Et Gloſſa* 1.) Etenim ea, quæ vulgi eſt opinio illum eſſe Primogenitum, qui ſecundo naſcitur, eo quia primo fuerit loco conceptus, a nullo unquam cordato viro amplexa fuit; Nunc vero multo ſane magis deſpicienda eſt; Vidimus enim in *antecedenti Capite V.* Homines naſci ex ovo a fundo uteri in hujus cavitatem per Tubas Fallopianas inter amoris luctas decidente; Vidimus pariter Gemellos ſuum debere conceptum aut uni ovo duobus Vitellis ſeu embrionibus inſuto, aut duobus ſeparatis ovis eodem momento decidentibus: Quocirca ſi ovum, e quo Gemelli naſcuntur duplex eſt, jam nulla in ipſo concepta dignoſci poteſt generationis antecedentia; Si vero gemina a fundo uteri exeunt

I 4 ova

ova in Matricem, apparet etiam primum ovum quod de fundo egreditur ſeſe in anteriori, ſecundum vero in poſtica uteri parte, quam liberiorem reperit, locari debuiſſe; Ideoque exemplum ſacci, quo vulgus abutitur, magis probat primo natum primo quoque fuiſſe conceptum, quam e contra; Etenim e ſacco utriumque pertuſo ſi quid e fundo prius invehitur, prius etiam ex ore evehitur, educiturque. Et plane, ut antiquitati etiam obſequamur, certa res eſt, quod veteres quamvis, vel fortuitam commixtionem ſeminum, vel virile ſemen in Matricem fœmineam tamquam in terram decidens progenerationis cauſam agnoſcerent, cui quidem ſententiæ aptari poterat vulgare exemplum ſacci, ex quo prius educitur illud, quod ultimo fuit loco ingeſtum; nihilominus eamdem vulgi deſpexere cogitationem, atque primo nato primogeniales ſemper honores detulerunt: iſtis namque perſpectum erat à nativitate conjici non poſſe generationem. Id quod nobis etiam qui ova ſcimus, menti inſidet; Nam, ut verum fateamur, fortuitus eſt utriuſque ovi caſus; Ac fortuita quoque ſunt, incertaque tempora nativitatis, ut diſputavimus & de *ſuperfœtatione* actum fuit.

IV. At verbo utimur *Primogenitus* magis ad deſignandam generationem, quam nativitatem

acco-

accomodato. Quid porro? Equidem non inde ad ſtatuendam geminorum prærogativam inquirenda eſt prioritas generationis, magis quam nativitatis; Nam quibuslibet in Philoſophicis, ac legalibus diſputationibus vis non ſtat in verbis, quæ uſus, aut abuſus intulit, ſed in re, de qua diſputatur: Verba ſiquidem a placito hominum pendent, eodemque, quo cuduntur placito, eodem recuduntur; proptereaque omnibus in rebus non ad mentem linguæ, ſed ad linguam mentis inſpiciendum eſt; Unde optime cecinit *Horatius* (*de Arte Poetica*.

Multa renaſcuntur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula ſi volet uſus
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

V. Quæ cum ita ſint non poteſt ſine admiratione excipi *Deciſio facultatis Montis peſſulanæ*, quæ referente *Chambreſio* (*Dizioner. Univerſel. des arts To.* 4. *V. jumo*) eſſe jura primogenialia ſecundo nato ſancivit. Sicut etiam ſine animadverſione pertranſiri nequit adnotatio *Calmeti* (*in Geneſ. cap.* 38. *v.* 28.) Viri cæteroquin doctiſſimi, qui quæſtionem hanc

hanc hodie adhuc indefinitam, & problematice propugnari perhibet, citando inſui aſſerti veritatem *Zacchiam* (*Quæſt. Medic. Legal. lib. 9. tit. 12.*) Hic namque Auctor utcumque quæſtionem hanc ſicco ferme pede prætereat, adhuc non tantum eam problematice non diſputat, quantum communi firmiter adhæret ſententiæ a nemine unquam in dubium revocatæ (*Eod. lib. 9. q* 1. 2. *&* 3.). Quæſtio enim, quæ in propoſito problematice diſputari ſolet ea non eſt, quiſnam Gemellorum Primogenitus habendus ſit, ubi legitimis probationibus conſtat quis prior fuerit in Ordine nativitatis; ſed alia longe diverſa, videlicet quiſnam ſit Primogenitus inter Gemellos uno utero effuſos, quando Ordo eorum nativitatis penitus ignoratur: quam utique diſputationem nos etiam ſeorſim mox acturi ſumus; ſed antequam ad eam deſcendamus libet prius inquirere, quibus documentis, aut momentis rationum Gemellus, qui primus in auras miſſus fuit probare queat ſuæ nativitatis anterioritatem.

VI. Naturam certe non pati, ut ſimul duo uno impetu de uno Matris utero excidant, quiſque facile ſibi perſuaſum habet, & dixit etiam *Triphoninus* (*in L. Arethuſa ff. de ſtat. homin.*): Unde in Gemellorum ortu neceſſe plane eſt diſtincta eſſe, diverſaque momenta nati-

nativitatis. At etiam ſi nihil magis, quam hoc; in natura certum ſit: nihilominus nil eſt, quod magis incertitudini ſubjacere queat, quam illorum nativitatis *ordo*; Nam inter anguſtias partus obſtetrix, aliique adſtantes magis ſtudent, ut Matri Parturienti conſulant, quam ut partus diſcernant; Ipſi vero partus difficillimam reddunt ſuam ipſorum diſcretionem ob eam, quam in Gemellis fere cernimus ſimillimam oris ſpeciem. Quamobrem niſi ſedula obſtreticis cura aliquod primo exeunti ſignum opponat exemplo geminorum *Tamar* (*Geneſ. cap.* 38.), nemo non videt magnas in dubietates vocari poſſe Ordinem hujuſmodi nativitatis; Atque ita magnas, ut eorum incertitudo nonniſi difficillime vinci queat; Nam mulieres publice ſe non exponunt, ut pariant, ideoque res eſt difficilis omnino probationis.

VII. Verum enim vero cum nulla res ita improbabilis ferme ſit, ut aliquibus probationibus clarificari non valeat, inde ad probandum quis revera inter natos prior fuerit, inprimis maxime ſtandum eſt *Paternæ*, & *Maternæ* atteſtationi; Superius enim ex *Herodoto* vidimus tanti habitum fuiſſe a Spartiatibus ſolum tacitum, & præſumptum matris Judicium, ut *Euriſtenem* honoribus Primogeniti condecoraverint. Ex quo etiam affirmare li-

cet

cet quodcumque recipi debere Paternum, Maternumque Teſtimonium, non ſolum ſi ipſi id jurati in judicio deponant, ſed etiam ſi tacite id innuerint, alterum nempe habendo altero honoratiorem, illumque vocando ſemper Primo natum, Primogenitumque. Poſt parentum ſive expreſſam, ſive tacitam, quæ aliis omnibus prævalere debet, atteſtationem, ſuccedit teſtimonium obſtetricis, aut obſtetricum, quibus certe maxime etiam innitendum eſt; ita ut ſi cum aſſenſu Paterno harum etiam concurrat fides, certiſſima habeatur, atque omnibus numeris abſoluta probatio. Poſt obſtetrices alii admitti debent teſtes, qui vel præſentes fuerint partui, vel etiam id audiverint nulla facta ſexus differentia; in re ſiquidem difficilis probationis fœminæ etiam aliique de cætero inidonei teſtes a teſtificando non repelluntur. Ultimum tandem gradum occupant codices baptiſmatum, qui cum ætatem probare ſoleant, tum magnam ingerere debent probationis ſpeciem ſi præciſe in iis fuerit adnotatum tempus, atque hora nativitatis utrorumque Gemellorum; Debile autem e contra ſuppeditare poſſunt argumentum ſi probatio fulciatur in ſolo Scripturæ Ordine; Caſu enim evenire potuit, ut alter altero prius ſcriberetur; Quamvis hujuſmodi Scripturæ ordo pro conjectura aliquo modo queat

de

deſervire. Conjecturis namque, & præſumptionibus locus etiam patere debet; nam in re difficilis Probationis non ad hanc, neque ad illam ſpeciem probationes ſeſe reſtringere fas eſt, ſed omnes etiam in ſe ipſis alioquin debiles admittendæ ſunt, ut coacervatim ſumptæ, quæ ſingulæ non prodeſſent, ſimul unitæ juvent, ut in propoſito advertit *Carpzovi* (*Definit. Forenſ. p.* 3. *Conſtitut.* 15. *Definit.* 18.): Et conferunt ea, quæ docet *Phæbæus* (*Deciſ.* 39.), & *Giurba* (*De Succeſs. Feud. Gl.* 4. §. 2. *cap.* 118. *n.* 29.

VIII. Diximus ex geminis illum eſſe Primogenitum, qui primus in lucem prodierit; Statuimus quomodo probanda ſit alterutrius in naſcendo Prioritas; Sed quid dicendum erit, ubi gemini reperiantur in Utero illius mulieris, cui vel demortuæ, vel viventi cæſus fuit Uterus? Nonne alter altero erit potior in Primogenitura? haud equidem. Nam ille, qui primus in lucem venit non propriæ aptitudinis ope prior egreditur, ſed alterius ope prior extrahitur; ideoque prioritas, quæ caſu tunc accidit nequit conſiderari. Adde, quod Partus Cæſarius licet naturalis cenſendus ſit quoad jus ſuccedendi in hæreditatibus juxta diſpoſita in *L. etiam ea* 141. *ff. de verb. ſignif. lib.* 1. §. *Sed & ſi Matris ff. ad S. C. Tertullian. lib.* 1. §. *Si quæ prægnans ff. Unde*

de cognati L. quod dicitur ff. de Liber. & Poſth., nihilominus quoad nativitatis ſpeciem naturalis dici nequit, ut advertitur *in L. aniculus* 132. *ff. de verb. ſignif. Falſum eſſe eam peperiſſe cui mortuæ filius exectus eſt*: Quocirca etiam ſi Partus Cæſarii quantum ad moram faciendam, excludendoſque inſequentes Primogeniti cenſendi ſint, quia in ſucceſſione ſuum obtinent locum, haud ſecus ac naturaliter in lucem forent emiſſi; adhuc tamen inter ipſos non eſt ubi figi queat alterius prioritas; Non enim Chirurgi manus fortuito procedens, ſed naturalis ordo naſcendi huic potius quam illi tribuere debet jura, & honores primigeniales.

De Primogenitura illorum Gemellorum, quorum nativitatis ordo ignoratur.

CAPUT X.

I. Quæſtio, quam nunc agimus ea eſt, ad quam præcipue noſtra tendit præſens oratio; Ea ſiquidem, quæ in *ſuperiori* diximus *capite* tam aperta, tamque incontroverſa ſunt, ut vix patiantur diſputari. Igitur ſi geminus partus vel Cæſarius ſit; vel obſtetricis, atque adſtantium indiligentia primonatum a ſecundo non diſcreverit, ita

ut

ut alter ex gemellis ſeſe Priorem natum altero fuiſſe, ſive ex Judicio Paterno, ſive alio rationis momento, de quo in eodem *ſuperiori capite* verba fecimus, probare non queat; tunc acerrime diſquiritur, cui tribuenda ſit Primogenituræ prærogativa. Qua quidem in quæſtione, quam in partes varias diviſi ſint recentiores Juriſconſulti recognoſci poterit penes *Tyraquellum de Primogenituris* (*Quæſt.* 17.) enumerantem *duodecim diverſas opiniones*. Nam aliqui volunt utroſque, ſive ſimul, ſive alternis vicibus eſſe ad Primogenituram admittendos; Alii negotium ſorte dirimendum eſſe; Nonnulli locum aperiunt gratificationi; Sunt, qui ambos arceant a ſucceſſione, qui formoſiorem; qui robuſtiorem; qui demum poſſeſſorem præferant. Jam vero in tot, tantiſque opinionibus, quarum unæquæque ſuos habent Defenſores, noſtrum eſſe nolumus per eas percurrere, ac ſcolaſticorum more illas omnes excutere, ac refellere; Sed cum genericam omnibus caſibus aptare velle definitionem, ut plerique faciunt, videatur indiligentis omnino operis; tum nobis menti dumtaxat eſt omnibus conſideratis caſibus, qui occurrere poſſunt, quid in iſtis ſentiendum ſit, noſtri animi ſenſum aperire.

II. In primis itaque conſiderare præſtat cujus ſexus ſint ambo Gemelli, vel Trigemi-

mini, aliique multiuges partus ſimul nati, ſi enim ejuſdem ſint ſexus difficilior erit controverſia, ſed ſi illos diſparitas ſexus forte diſcreverit, ita ut unus dumtaxat maſculus ſit, atque altera, ſeu una, ſeu plures ſint feminæ, dubium eſſe non poterit, quin mas fœminis ſit præferendus in Primogenitura. Quemadmodum namque in legato, quod ancilla libertatem acciperet ſi primum marem peperiſſet *Ulpianus* reſpondit, quod ſi ea uno Utero marem effudiſſet, & *Fœminam*, atque incertum foret quiſnam primus egreſſus eſſet, eam ſequendam eſſe ſententiam, quæ magis favens libertati maſculum primo editum præſumeret (*L. Si fuerit ff. de* Reb. *Dub.*); Ita in hac noſtra diſputatione ejuſdem *Legis* argumento dicendum erit, Maſculum priorem natum putandum eſſe, favore nimirum agnationis, quam ſi conditor Primogenituræ conſideravit, tunc res dubietate vacat, ſi autem ejus omiſerit conſiderationem, nihilominus conſideraviſſe in pari gradu præſumendum eſt; quia Primogenituræ pro conſervandis præcipue familiis, & agnationibus inventæ ſunt, ac ſolent inſtitui (*Ant. Gam. Deciſ. Luſitan.* 51. *Fuſar. de ſubſtit. q.* 385.); quam rationem ſequentes conditores Legum Partitarum Hyſpaniæ in eamdem, quam nos expoſuimus, ivere ſententiam *in L.* 12. *tit.* 33. *part.* 7.

III. Quo-

III. Quoties autem Gemelli, vel ejuſdem ſint ſexus, vel in multijugi partu duo ſint maſculini ſexus atque alter feminini, maxime hæret aqua. Nam cum plurimæ res ſint diviſibiles, ut hereditas, prædia, mobilia, pecuniæ, & ſimilia; tum pleræque etiam ſunt indiviſibiles, ut Regna, & Feuda dignitatum ac juris Francorum, aliaque plurima; taliter ut diverſo Jure in his, atque in illis differendum ſit. Quamobrem exordiendum eſt ab iis bonis, quorum vel legitima, vel commoda fieri poteſt diviſio. In quibus certe quantum fieri poteſt, cavendum etiam eſt ne Primogenitura dividatur; Ea quippe ob receptam, atque approbatam conſuetudinem indiviſibilis eſt.

IV. Quamobrem ſi inter Gemellos uno utero effuſos alter altero fuerit diligentior, ille in Primogenitura præferendus eſt, qui bonorum primogenialium poſſeſſionem adeptus eſt; quique in eadem Poſſeſſione manet; Nam quamvis non inficior, male arguatur a poſſeſſione ad jus poſſidendi, nihilominus cum poſſidenti vincere ſufficiat per non Jus actoris, inde ſequitur, quod alter, qui extra poſſeſſionem manet tam in poſſeſſorio, quam in petitorio, jure decedere debeat. In poſſeſſorio; quia poſſidenti debetur manutentio. In petitorio vero, quia ille probare nequit, ob

præſuppoſitam deficientiam documentorum, ſuæ nativitatis prioritatem; Idcircoque nunquam poſſidentem ſua ſpoliare poſſeſſione poterit, licet hic ſuæ itidem non oſtendat nativitatis anterioritatem; Nam qui poſſidet ideo poſſidet, quia poſſidet, nulloque cogi valet pacto, ut ſuæ poſſeſſionis jura demonſtret; Satis enim juris habet ad excludendum non poſſidentem, eo ipſo quod manet in poſſeſſione, a qua actore non probante deturbari nequit.

V. Ex quibus plane fluit, *primum*, quod ſi utrique Gemelli ſeorſim bonorum poſſeſſionem nanciſcuntur, utrique (loquimur ſemper de rebus dividuis) pro modo ſuæ poſſeſſionis debeant in ſua manere poſſeſſione, neuter enim alium ob defectum probationum ſpoliare poterit, ideoque utrumque gaudere fas erit illo poſſeſſionis beneficio, quod ſua eidem tribuit diligentia, atque ſollicitudo. Secundo autem ſequitur, quod prior in poſſidendo eſſe etiam deberet prior in jure; Ipſe namque in poſſeſſorio alium vincet ob efficaciam ſuæ anterioritatis; in petitorio autem ob virtutem poſſeſſionis a judicio arcebit minime poſſidentem. Animadvertendum tamen eſt, quod ille, qui prior poſſeſſionem adeptus eſt, debet etiam tempore litis motæ poſſidere, ut alteri præponatur; Nam alias ſi ſe ſpoliari, ac poſ-
ſeſſio-

ſeſſionem ab alio nactam ab hoc pacifice detineri paſſus fuerit, hic erit præferendus, etiamſi ille bonorum poſſeſſionem antea acquiſiverit: in Judiciis etenim poſſeſſoriis, in quibus proponitur interdictum retinendæ ille obtinet, qui pacifice poſſidet tempore litis conteſtatæ (§. *Hodie Inſtit. de Interdict*); eaque propter in hoc errare videtur doctiſſimus *Tyraquell.* (*de Primogen. q.* 17. *op.* 12.) qui tuetur, eum præferri debere, qui primus poſſeſſionem adeptus fuerit poſt mortem Patris, etiamſi is tempore litis conteſtatæ non poſſideat: niſi forſan ejus dictum interpretari velit ajendo ipſum ſenſiſſe, quod ille, qui prius poſſidebat, aliud poterit inſtituere judicium ſpolii, atque hoc pacto antiquam recuperare ſuam poſſeſſionem, ut exinde in bonorum poſſeſſione manens veniat juniori poſſeſſori præferendus.

VI. Verum enim vero ſi, ut ſæpe ſæpius evenire ſolet; vel neutri poſſeſſionem bonorum; vel ambo una, eademque die illam capiant, taliter ut lateat quis fuerit in capienda poſſeſſione diligentior; vel peculiari ſtatuto ſancitum ſit defuncti poſſeſſionem translatam cenſeri in heredes, ſive ſuos, ſive etiam extraneos, ut in plurimis diſpoſitum videmus Italiæ noſtræ Regionibus, atque præſertim viget in urbe Roma favore heredum

ſuorum: Hoc certe in caſu, in quo nihil juris alterutri tribuere valet bonorum poſſeſſio, ita mordicus adhærendum eſſe haud cenſeo propoſitæ indiviſibilitati Primogenituræ, ut ſortium jactus decernendus ſit omnino, quemadmodum ſentire videntur *Carolus Molineus*, (*Conſuetud. Pariſ. Tit.* 1. §. *& Gl.* 1.) & *Puffendorſius*; (*Le droit de la Nature, e de Lens liv.* 3. *Chap.* 2. §. 5.) Etenim ſors conſuli quidem ſed non præcipi debet; & vix etiam conſuli valet. Nimis quippe præjudicii affert utriſque collitigantibus; Poſtquam enim ſorte res dijudicata eſt non ſolum nequit amplius ab ejus judicio appellari, ſed ne datur quidem in integrum reſtitutio, quamvis etiam victus minor ſit; niſi intollerabilis probetur deceptio, aut poſtea ita perſpicue pateat alterum, qui ſorte cadit a Primogenitura, eſſe revera Primogenitum, ut nullis omnino rationum momentis in dubium queat revocari (*L. Fideicom. C. de Tranſact.*); Propterea que alias admitti nequit ſortis judicium niſi utroque gemino iſtud petente. Si enim utrique diſſentiant nequit certe Judex ad ſortis judicium partes provocare; Si vero alteruter tantum petat, res in idem recidet; Nam in quæſtione facti, non juris, ferme non eſt, quod ambobus etiam petentibus ſortes admitti queant; Factum quippe documen-

tis

tis non ſortitione dirimendum eſt (*L. ei*, *qui ff. de Probat. L. actor C. eod.*). Uno autem volente, ac altero abnuente ſeſe mutuo concurſu ambo invicem impedirent (*L. quoties de uſufruct. ammitten.*).

VII. Quamobrem ſi ſortem non poſtulent, decet profecto utroſque, facta bonorum æquali diviſione, ad Primogenituram vocare; Quod merito ſancitum fuiſſe cernimus in *Legibus Partitarum* Hyſpanis *L.* 12. *tit.* 33. *p.* 7. quarum licet auctoritas non extendatur ultra Hyſpaniarum Regna, nihilominus nemo inficiatur eas ubique maximi ponderis eſſe, præcipue in quæſtionibus Primogeniturarum, quæ quantum ad modernum ipſarum pertinet uſum, ſi non originem ultimum ſaltem ab Hyſpanis complementum recepere, ab imagine videlicet ſucceſſionis a *Pelagio* Rege inſtitutæ in Regno *Caſtellæ*, poſtquam domitis, ac pulſis Saracenis ſuo illud adjunxit *Aſturiæ* Regno (*P. Molina de Juſtitia*, & *Jure Diſp.* 576. *n.* 8. & *ſeq.* & *Molina de Primogen. lib.* 1. *cap.* 2.). Præterea etiam duobus Paleſtra certantibus, aut curſu contendentibus, ſive obſeſſæ urbis muros traſcendentibus ſi ignoratum ſit quiſnam vicerit, aut metam prius attigerit, ſive primus in oppidum fuerit tranſgreſſus, tribuendum utrique eſſe victoriæ compendium ſi præmium, vel dividuum, vel iterabile ſit do-

cuerunt *Achilles* penes *Homerum* (*Iliad.* 23.); Itidem *Cumani* penes *Dionyſium Halicarnaſſeum* (*Roman. Antiq. lib.* 7.); *Scipio* penes *Livium* (*In ſecundo Bello Punico lib.* 6.); & *Polemon Paſtor* penes *Virgilium* (*Eglog.* 3.). Nec deſunt etiam argumenta Legum Civilium, quæ æqualem diviſionem in ſimili caſu ſuadent, præcipiuntque (*L. ex duobus ff. de Vulgar. & Pupillar. L. qui duos ff. de Rebus Dub.*, & alibi paſſim). Demum ſi ullibi uſpiam huic certe caſui aptari deberet emphaticum illud *Heſiddi* effatum -- *Dimidium plus toto* --; Melius quippe utrique Gemino eſt dimidium certo nanciſci, quam, ſub inani ſpe *totius*, totum perdere; Quam ſententiam ſequutus *Terentius* (*Adelph. Act.* 2. *Sc.* 2.) inquit.

Potius quam venias in periculum ſannio
Servesne; an perdas totum face.

VIII. Quorſum hæc? aliquis dicet non ne in præcedentibus dictum fuit Primogenituram de ſui natura indiviſibilem eſſe? Si autem ea indiviſibilis eſt, quenam unquam de cauſa poterit dividi, atque in partes ſcindi? Hic plane nodus ſolvi poſſet reſpondendo, quod in filiis geminorum, inter quos facta fuit momentanea, ut ita dicam, bonorum partitio, ite-

iterum unienda erit Primogenitura, eo videlicet pacto, ut filius Maſculus, qui forte fortuna ab hoc, ſeu ab illo primus in lucem veniet, ſit ad omnium bonorum compendium poſt Patris, & Patrui obitum in univerſum invitandus; ſed reſponſio hæc parum cum juris principiis cohæret, & nonnihil incommodi, ac difficultatis habere videtur; quia iniquum propemodum eſt filium iis privari bonis, in quibus natus, & nutritus fuit; Inſuperque regula Primigeniturarum eſt, ut bona prius ab ea non regrediantur linea, in qua ſunt ingreſſa, quam hæc tota evacuata ſit. Unde altius aliquanto ſumendum eſt reſponſionis argumentum. Itaque animadvertendum eſt aliquas res ita eſſe indiviſibiles, ut nec communicari, nec partiri queant, alias, quæ communicari tantum, alias demum, quæ communicari, & partiri valent. *Primogenitura* certe de ſui natura indiviſibilis dicitur, ſed dumtaxat relative ad *fideicommiſſum*; Nimirum ut *illa*, in qua unus tantum primo natus excluſis omnibus aliis ſemper ſuccedit, diſtinguatur ab *hoc*, in quo omnes admittuntur quotquot filii, & deſcendentes fideicommittentis minime curato nativitatis ordine, aut graduum differentia. Relative autem ad ſemetipſam neutiquam indiviſibilis eſt; non ſolum enim nihil proponi poteſt, quod reſiſtat po-

tentiæ ejus diviſionis, ſed immo ſi aliqua excogitari poteſt reſiſtentia, ea reſidet in oppoſitum. Naturæ quippe, & æquitatis legibus vim inferre videtur jus iſtud, ob quod æqualem habentes ab eodem Patre originem inæquale adeo bonorum compendium nanciſcuntur. Qua de re quidquid dicendum erit, ubi agemus de Primogenitura conſtituta in re indiviſibili, quo caſu indiviſibilitas procedit non a jure primogeniali, ſed a bonis commodam, vel nullam recipientibus diviſionem; plane in expenſo Themate in quo bona primo genialia iſtam non reſpuunt, ambigi nequit utroſque Primogenitos eſſe ad Primogeniturам admittendos; Vix enim eſt quod dici valeat Primogeniturам dividi ubi ea Geminis confertur, quorum uterque in dubio eſt Primogenitus; uterque æque proximus eſt ultimo gravato, & gravanti; uterque demum coæquali potitur jure ſuccedendi juxta ordinem ſucceſſorii Ædicti, quod ceſſante, veluti in propoſito ceſſat, hominis proviſione; ſibi locum vindicare omnibus ſemper debet in controverſiis.

IX. Et plane contendere, quod noſtræ modernæ Primogenituræ de ſui intrinſeca incommunicabili natura diviſionem minime patiantur idem eſt, ac nodos quærere in ſcirpo, & per antiquitatis rudera dudum obſoleta extra

tra neceſſitatem vagari. Utique Primogenitura apud Hæbreos fuit incommunicabilis, atque indiviſibilis. Aſt id unice in eam derivabatur non ratione bonorum, ſed ab honoribus, & qualitatibus in illa Lege adnexis Primogenituræ, & præcipue ab individuo honore Sacerdotii, qui ante electionem *Aaronis* uni uniuſcujuſque familiæ Primogenito tribuebatur. Unde Prophetice *David* de Chriſto Servatore cecinit -- *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* -- (*Pſ.* 109.): Eſau vero, quia vendidit primigenia profanus dictus fuit a *D. Paulo* (*Hebr.* 12.). Sed cum Primogenitura nunc non ſolum Sacerdotale decus, ſed nullam penitus adnexam de ſui natura dignitatem habeat, abſonum penitus eſt ab iis, quæ in Primogenitura Sacerdotali Hebræorum contingebant, ad noſtras arguere modernas Primogenituras toto cœlo diverſas, diſſimileſque. Atque ita diſſimiles, ut incongruum penitus ſit ab illa, ad has argumentari; Nam facili admitti tunc poterat, quod in duobus Gemellis unus dumtaxat tunc Jura haberet primogenialia, quia non inde alius Gemellus ad penuria rerum ferme omnium redigebatur, ſed immo maxima bonorum portio ei remanebat, quippe Primogenitus duplicem ſolummodo hæreditatis partem obtinebat (*Deuteron. Cap.* 21.); Contra autem

non

non ſic dici nunc poteſt; ſi quidem noſtrorum Primogeniorum Leges dum primo nato rerum omnium conferunt emolumentum, interim ſecundonatos ad quamdam ejiciunt ſpeciem generoſæ mendicitatis.

X. At quamvis individuitas Primogenituræ talis efficaciæ non ſit ut excludere queat diviſionem bonorum inter geminos una paritura effuſos, quorum ignoratur anterioritas naſcendi, adhuc tamen illud operari debet, ut inter utramque lineam, quæ hoc pacto efformatur, reciproca per jus non decreſcendi inducatur ſubſtitutio; ſi enim linealem reciprocam admittunt Tribunalia, tunc cum Teſtator præcepit, ut bona conſerventur integra inter inſtitutos, & ſubſtitutos de familia, & agnatione; Si concurrentibus tribus requiſitis, vocationis nimirum per verba collectiva, digreſſus ad plures ſubſtitutionum gradus, ac ſubſtitutionis ultimo morienti in tota hereditate de quibus *Text. in Lege Titia Seja §. Seja libertis ff. de legat.* 2. reciproca linealis volita cenſetur: multo ſane magis eamdem linealem reciprocam obtinere decet in hac neceſſaria diviſione bonorum Primogenialium, quæ utique, ſic diviſa, manent quodammodo in ſtatu violento; a quo ea tecedere oportet ſtatim ac ſeſe præbeat occaſio ad primum redeundi ſtatum ingenitæ individui-

dui-

duitatis, quam noſtrorum temporum Primogenitura ſi non flagitat, certe ſaltem poſtulat, exoptatque.

De ſucceſſione Gemellorum in Regnis.

CAPUT XI.

I. CUm de ſucceſſione Gemellorum in rebus individuis nunc agendum ſit, in primis ſeſe offerunt Regna. De his autem tractaturi ante omnia deceret illam dirimere antiquam diſputationem, num revera melius ſit plurium, ſeu potius unius Imperium: hac enim reſoluta facilis videretur ſtrata via ad ſtatuendam, vel inficiandam ſimultaneam Gemellorum in illis ſucceſſionem. Monarchiam tuetur *Homerus* (*Iliad.* 2.) hoc verſu

Non multos regnare bonum: Rex unicus eſto.

Atque *Euripides* (*in Andromaca*): *Unius poteſtas ſit, & in re domeſtica, & in Republica;* quos ſequutus eſt *Ariſtoteles* (*Metaphiſ. lib.* 12. *cap.* 12.). *Non eſt bonum pluralitas Principatuum: unus ergo Princeps*: Unitas quippe omnium rerum principium, menſura, & finis eſt; quamvis ipſa principii, & finis omni-

omnino ſit expers, ut poſt *Muſæum*, *Pytagoram*, *Platonem*, alioſque ait *Macrobius* (*Somn. Scip.*). Res publicas e contra (de his loquimur: in ſpecie ſumptis) *naturæ* ratio, ac *Dei* inſtitutum præmaxime defendit. *Natura* quippe omnes liberi, nullique parentes dominationi naſcimur, & naſcebamur. *Deus* autem Optimus Maximus, dum ſui Electi Populi regimen conderet, ſuiſque legibus firmaret, iſtud non ad Regni, ſed ad Reipublicæ imaginem ordinavit, ita, ut Regem non niſi quodammodo invitus Hebræis tribuerit ſedulo flagitantibus (*Reg. lib.* 1. *cap.* 8.). Præterea autem ſi antiquorum temporum hiſtorias conſiderabimus, cernemus ad illud Reſpublicas veteres, & Romanam præcipue, gloriæ, & potentiæ culmen perveniſſe, ad quod nullum unquam Regnum, nullum Imperium. Contra autem cum ſumma rerum uni delata eſt, taliter Romanam Majeſtatem decreviſſe, ut demum conſenuerit, atque decoxerit; ac ab ipſis ſuperata Barbaris, quos antea ſemper, & ubique vicerat, debuerit iſtis ſubmittere triumphale caput ab illorum armis victum, ac triumphatum.

II. Verum enim vero non nihil ad intentum conferre poſſet hujus quæſtionis reſolutio, ſi in umbra Academiarum diſputandum eſſet; ibi enim tamquam ex trypode fari deceret

ceret dominium plurium tanto melius Monarchico eſſe, quanto difficilius in illo vergitur ad Tyrannidem, quantoque melius in illo, quam in hoc jus, conditioque naturæ ſervatur; proptereaque ſubdi poſſet, illico ac ſeſe occaſio offerat, ut regnum in duos, aut tres dividatur, dividendum eſſe, exemplo etiam Spartiatum, qui ex nativitate Gemellorum *Ariſtodemi* geminos ſibi Reges ex familia Heraclidarum conſtituere; exemploque pariter Senatus, Populique Romani qui extincto in Africa *Gordiano Seniore* duos ſibi maluit Imperatores, quam unum, præficere; ne videlicet rurſus illa potentia ad Tyrannidem deveniret, ut inquit *Herodianus* (*lib.* 7.); Quid quod? *Aſtra ipſa Cœli mutuo reguntur auxilio & Vicario labore participata mundum ſuis luminibus adminiſtrant. Ipſi quoque homines duplices manus, ſocias aures, oculos geminos divina tribuerunt, ut robuſtius perageretur Officium, quod duorum fuerat ſocietate complendum*, veluti dicebat Regina Gothorum *Amalaſuntha*, ut aſſumptionem *Theodati* ſui conſobrini ad conſortium Regni probaret Romanis in Epiſtola ipſis tunc data, quam inter Caſſiodori Litteras (*lib.* 10. *Epiſt.* 3.) legere eſt.

III. Hæc, & plurima alia inter otia Academiæ dici poſſent: Quamvis & hæc in ipſis Aca-

Academiæ otiis nonnihil haberent etiam difficultatis; Nam aliud eſt Reſpublica Ariſtocratico, aut Democratico Ordine inſtituta, in qua nullus Princeps eſt, omneſque ſubduntur Legi, quæ una Principis, ac Regis vices gerit; aliud Reſpublica a Regibus Monarchis moderata, in qua omnes ſupra Legem ſunt, omneſque diſpotica, atque independenti fruuntur poteſtate. Atſi res ab umbra Platanorum ad lucem fori, & orbis conſtitutionem educantur, alio certe gradiendum eſt. Etenim, ſi ad ea, quæ Regnorum docet uſus, conditioque animadvertatur, nemo eſt, quem lateat Regiam poteſtatem eſſe penitus incommunicabilem, atque inſociabilem

Nulla ſancta ſocietas, nec fides Regni eſt

Scripſit *Ennius* relatus a *Tullio* (*lib.* 1. *Officior.*); belleque *Ovidius* etiam cecinit (*de Arte amandi lib.* 2.)

Non bene cum ſociis regna Venuſque manent.

Lucanus pariter (*lib.* 1.) inquit

Dum terra fretum, terramque levabit
Aer, & longi volvent Titana labores
Nox.

Noxque diem Cœlo totidem per ſigna ſequetur.
Nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit;

Brevioribus itidem verbis eamdem rem expreſſit *Seneca* (*in Tryeſte Act.* 1.) *Non capit Regnum duos*, atque antea etiam dixerat (*in Agammen. Act.* 2.)

Nec Regna ſocium ferre, nec Thedæ ſciunt

& emphatice edixit quoque *Statius* (*Theobaidos lib.* 1.)

Ambitus impatiens, & ſummo dulcius unum
Stare loco, ſociiſque comes diſcordia Regnis

& certe: *Quando unquam* (ſunt verba D. Cypriani *lib. de Idolor. Vanit.*) *Regni ſocietas, aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, ac permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia; & Romanos geminos unum non capit Regnum, quos unum uteri cœpit hoſpitium. Pompejus, & Cæſar affines fuerunt, nec tamen*

men neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec, hic tu de homine miraris cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex unus eſt in Apibus, & Dux unus in gregibus, & in Armentis Rector unus.

IV. Quæ plane res aliis etiam comprobari poſſet omnium Gentium exemplis. Quis enim pauliſper in Hiſtoriæ Luce verſatus eſt, qui neſciat plurima nedum fratricidia, ſed Patricidia ab hac inſatiabili, inſociabilique Regnandi cupiditate originem habuiſſe non jam inter barbaras gentes

Genuit quas cautibus horrens
Caucaſus, Hircanæque admorunt ubera
Tigres

ſed in ipſis magis cultis, manſuetiſque Regionibus? Ita ut quodammodo Monſtri loco habiti fuerint, *Landulphus*, & *Atenulphus* filii *Atenulphi I.* Beneventanorum, & Capuæ Ducis, qui utrumque Principatum mira animorum concordia ſimul uſque ad obitum rexere (*Murator. Annal. Ann.* 910.) Mitto Græcos, Ægyptios, Aſyrioſque aliaſque Barbaras Gentes, quas Borealis Polus in Italiam effudit. At ipſi Romani, qui ſuis egregiis virtutibus, operibuſque primam in univerſo orbe ſunt laudem conſequuti nonne hac ſeſe macu-

macula ſæpe ſæpius dedecorarunt? Infelix Tricipitina quid in Urbem invexerit hiſce *Lucanus* docet verſibus (*Pharſalic. lib.* 1.)

Tu cauſa malorum
Facta tribus dominis communis Roma,
ec unnquam
In turbam miſſi fœralia fœdera Regni.

Infauſtus autem Triumviratus præclarius in ea oſtendit non bene Summum Imperii jus in plures dividi. Quinimmo ille ipſe *Octavianus Auguſtus*, qui annos duodecim, eoſque bellis nunquam intermiſſis cruentatos, Reipublicæ una ſimul cum *Lepido*, & *Antonio* vix præeſſe valuit, totos poſtea quadraginta quatuor annos expugnatis Rivalibus ſolus quiete rerum potitus eſt (*Sveton. in Auguſt.*). *Nero* ſui Imperii initia morte *Brittanici* eſt auſpicatus (*Sveton. in Neron.*). *Domitianus* orbis delicias, *Titum* videlicet ſuum germanum fratrem ita ob ſolam inſociabilem Regnandi Cupiditatem odio habuit, ut nunquam illi deſierit inſidiari, eumque gravi correptum morbo priuſquam animam efflaret pro mortuo juſſerit deferri (*Sveton. in Tit. & Domitian.*). Quinimmò ille idem *Marcus Aurelius Antoninus*, qui prudentiſſimus, & Sacratiſſimus Princeps, & Philoſophiæ plenus

vocatur a *Juſtiniano* (*in L. cum Syllanianum Cod. de his quibus , ut indign.*) , adeo tandem pertæſus conſortis in Imperio ſeſe oſtendit, ut rumor invaluerit *Annium verum Auguſtum* non Apoplexia , ſed veneno fuiſſe vita ab illo ſublatum (*Capitolin. in M. Aurel.*) *Caracalla* autem maluit in Matris gremio *Getam* Fratrem occidere , quam eum imperii participem habere (*Herodienus lib.* 4.). *Philippus* ille Arabs quem primum una cum filio Chriſtianæ Religioni nomen dediſſe nonnulli ſentiunt, barbaras manus ſanguine cruentavit lectiſſimi Juvenis *Gordiani Junioris*, qui fruſtra ab illo , ut æquale ſaltem inter eos eſſet imperium, poſtulavit (*Capitolin. in Gordian. Jun.*). Impius etiam *Gallienus Valerianum* Patrem vinculis , atque contumeliis apud Partos affici , ac ſeſe ingratiſſimi animi vitio , & parricidii etiam delicto notari permiſit , potius quam ei pretio , vel armis redempto imperii habenas reddere , aut communicare (*Trebell. Polion. in Gallieno*). Quid plura ? Quis ſanctior Abrahamo ? Quis melior Lot ? Et nihilominus hi etiam , ſanguine licet junctiſſimi , nequiverunt habitare communiter, ita ut facta rixa inter utriuſque ſervos , ſubditoſque , decuerit ambos ad majora avertenda mala recedere, ac Syriæ Partes, & Regna inter ſe dividere, atque partiri

ri (*Geneſ. cap.* 13.). Semper enim verum fuit, ſemperque verum erit effatum illud quod Proverbii etiam loco habetur nimirum: *Unam Coronam non convenire apte duobus Capitibus*.

V. Itaque in Regni ſucceſſione utroſque inſimul Gemellos admitti non debere pro ſtabili, ac generali regula, habendum in primis eſt. Nam quamvis etiam Imperium plurium Monarchico forſan præcelleret, nihilominus non inde admiſſa Gemellorum conſucceſſione juſtum condi plurium Imperium contingeret; ſed immo orireτur quædam *Oligarchiæ* ſpecies, propter quam Regnum deveniret ad illum ſtatum, qui peſſimus omnium eſt, eique obnoxium manet deſolationi; quam edixit *Chriſtus* penes *Lucam* (*Cap.* 11.) his verbis: *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Etenim cum in Dominio paucorum, ſive duorum quiſque Princeps eſſe exoptet, & in ſententia dicenda vincere, ad ingentia inter ſe odia evadunt, ex quibus ſeditiones exiſtunt, e ſeditionibus vero cædes, ac imperii ruina, atque ſubverſio, quemadmodum obſervabat *Megabiſus* Perſa inſignis Politicus apud *Herodotum* (*in Thalia*). Adde quod Reipublicæ natura conſiſtit in ordine. Ordo refertur ad unum primum, ſive ſimplex ſive per unionem plurium. Ubi vero duo, aut tres cum Regia æquali poteſtate præficiuntur, ibi plu-

res naſci ordines, & plures Reſpublicas oportet, quia ſinguli ordines pendent a ſingulis capitibus. Unde neceſſe eſt, illud exinde abſurdum naſci, quod conſiderans Ariſtoteles, nullo fortiori argumento ad excludendam Deorum multitudinem uti ſcivit (*Metaphiſ. lib.* 12.); Bene propterea *Athanaſius* (*In Orat. adv. Idol.*) concluſit: *Ut multitudo Deorum nullitas eſt Deorum; Ita quoque neceſſe eſt multitudinem Principum id efficere, ut nullus Princeps eſſe videatur*,

VI. Exemplum *Heraclidarum* Lacedæmone per geminam Regum ſeriem plurium ſæculorum decurſu Imperantium nihil omnino valet; Quia etſi ommittamus utraſque horum Regum familias, non minus quam ipſos antea Geminos familiarum Principes odiis continuo ſeſe fuiſſe viciſſim proſequutas, ut non neſciunt Hiſtoriarum Periti, & late enarrat *Pauſan.* (*in Lacon.*); Ulterius ii licet nomine tenus Reges dicerentur, adhuc Regia non potiebantur auctoritate, quæ penes univerſam erat Spartiatum Rempublicam, cujus ipſi erant tantum capita, & ad bellum Duces (*Ariſtot. Politic. lib.* 3. *cap.* 10.) Veluti erant in urbe conſules, qui ad inſtar Regum Lacedæmonis fuerunt, eadem pene Regia, ſed annali duntaxat alterna poteſtate decorati (*Dioniſ. Halicarnaſ. lib.* 4.). Aliud iti-

itidem exemplum Senatus, Populique Romani non ſolum nihil officit, ſed immo prodeſt; Nam Imperium *Pupieni*, & *Balbini* ab illo poſt mortem *Gordiani* contra immanem belluam *Maximinum* electorum, quod mutua Imperantium concordia diuturnum eſſe forſitan potuiſſet, breviſſimum evaſit, quia *ut eſt* (ſunt verba *Herodiani*) *regnandi inexhauſta aviditas, atque incommunicabilis natura poteſtatis*, alter altero diffidit, atque alter alteri origo fuit necis, & ruinæ (*Herodian. lib.* 8. *& Capitolin. in Maximo, & Balbino*). Regina autem *Amalaſuntha*, poſt quam tot præclara effuderat verba Regni communionem comprobantia, ſenſit etiam ipſa, quam male exempla phænomenorum naturæ Regiæ poteſtati accomodentur; Nam ab eodem ipſo *Theodato* ab illa participe Regni effecto, fuit paullo poſt a Regio abſtracta Ravennatenſi Palatio, atque in Inſulam Vulſinii lacus relegata, ubi ſuam pauciſſimis diebus ei licuit imprudentiam lugere; Etenim illam in triſtitia degentem Regii Satellites in Balneo ſtrangulavere (*Jordan. de Reb. Getic. in fin.*).

VII. Quæ cum ita ſint tranſeundum nunc eſt ad propoſitum noſtræ hujus diſputationis. Si enim, ut ſuperius animadvertimus utrique Gemelli admitti non debent ad Regiam Poteſtatem; quid erit faciendum? Utique Regna

Primogenito eſſe deferenda jus gentium, quod naturæ etiam jus eſt, poſtulat; Conſuetudo autem ab antiquiſſimis temporibus derivata, atque his quoque noſtris permanens temporibus conſtantiſſime flagitat. At quis in Gemellis, quorum ordo naſcendi ignoratur, eſt Primogenitus? Difficilis plane res hæc eſt, in qua certe adhiberi nequeunt edicta Poſſeſſoria. Etenim hæc a voce Prætoris, atque a Summo Civili jure profluxerunt. Quamobrem licet in Primogenituris Privatorum quæſtionem valeant definire, adhuc in Regnorum Controverſia prorſus conticeſcunt. Nam Reges, qui vix ſe ſubditos Legibus Gentium ſciunt, civilibus utique Sanctionibus minime ligantur. Nihilo tamen minus, ut pro noſtra tenui Minerva hanc exſolvamus diſputationem, dicimus in primis nos hic non loqui de partu gemino, e quo orti ſint Mares, & Fœmina, nam tunc Marem perpetuo præferendum eſſe ita dubitari nequit, ut ineptum ſit de hoc diſputare. Regna quippe in iis etiam Regionibus, in quibus arctior *Lex Salica* non viget, pro Maribus fuere communiter conſtituta; nec ad illa fœminis patet acceſſus, niſi deficientibus penitus omnibus Maſculis. Concurrentibus autem duntaxat Maribus diſtinguendæ ſunt ſucceſſiones: Nimirum, *aut* ſucceſſio, ad quam vocantur gemini *ex uno*

dun-

duntaxat conſtat Regno ; *Aut* potius e contra *ex pluribus*. Diverſa enim videtur eſſe reſolutio difficultatis in *Regno unico*, ac in *Monarchiis*. Itaque a Regno unico exordiamur.

De Succeſſione Gemellorum in Regno Unito.

CAPUT XII.

I. REgnum *unicum* illud voco, quod totidem habet Civitates, quot ad unum Regnum conſtituendum ſufficiunt. Etenim Regni nomen non meretur ille Principatus, qui pro amplitudine Regionis, populique frequentia bellum ſubſtinere, atque hoſtium vim repellere non poſſit, quique decem, aut duodecim ſaltem Civitates cum Metropolitana non habet. (*Burg. de Dignit. Reip. Genuenſ. cap.* 2.) Tale, nimirum unicum, eſt Regnum Corſicæ; Tale Regnum Sardiniæ, quamvis antiquitus quatuor Regibus nomen daret; Sed hi potius Judices, quam Reges erant; talia ſunt quamplurima quoque alia Regna; & talia antiquiſſimis temporibus erant pleraque illa Regna ab iis poſſeſſa Regibus, quos in Trojana expeditione recenſet *Homerus*; quoſque ad bellum La-

tinum hinc pro *Ænea*, illinc pro *Turno* confluxiſſe ſcripſit *Virgilius*; Qui nihilominus ob nimis arcta ſui Imperii confinia, potius erant Reguli, quam Reges.

II. Enim vero Regnum de ſui eſſentia *unicum* eſſe, de ſui natura *individuum* neminem latet. Majeſtatis quippe vis, ac Populorum ſecuritas reſiſtunt quominus dividatur; facta quippe diviſione, Majeſtas, nomenque Regium amittitur, ac potentia nimium debilitatur. Proinde merito: *firmius futurum eſſe Regnum ſi penes unum remanſiſſet, quam ſi portionibus inter plures filios divideretur, arbitrabantur*. Syracuſani extincto *Dionyſio Tyranno*, ut refert *Juſtinus* (*lib.* 21. *cap.* 1.). Recteque *Statius Attalo* ingerebat: *Si partem regni fraterni peteret ambo, infirmos diſtractis viribus, & omnibus injuriis obnoxios fore* (*Liv. lib.* 45. *cap.* 19.). Neç audiendus eſt *Grotius* (*De Jure belli*, *& Pacis lib.* 2. *cap.* 7. §. 13.) qui facta diſtinctione Regnorum patrimonialium, & hereditariorum, illa, non hæc dividi poſſe inter filios cenſet; Nam ultra quod ejus ſententiam, & diſtinctionem improbat ſolidiſſimis rationibus Samuel *Coccejus* (*In Notis ad eumdem Grotium ibidem*.); ulterius ſi non hæc, neque illa. Et reapſe quæ affert exempla diviſionis Regnorum nihil concludunt; Siquidem horum diviſio vel ſpectabat

ad

ad Agros, & Allodia, non autem imperium; vel verſata eſt circa Monarchiam a pluribus Regnis efformatam; vel non fuit vera diviſio, ſed ſimultanea ſucceſſio plurium in eodem Regno.

III. Verum enim vero cum ſimultanea geminorum ſucceſſio in Regno unico ſit, tanquam Regno exitialis, totis viribus fugienda; ut præcedenti capite peroravimus; reſtat, ut unus tantum Rex debeat ad Solium evehi. At quorſum id fiet? Anne utrique Gemelli excludendi erunt; Regnumque alteri minori Fratri tribuendum? Haud equidem. Nulla enim æquitas pati poteſt, ut quibus omni Lege divina, naturali, & civili Regnum debetur, ii a ſuo jam per nativitatem acquiſito Jure dejiciantur. Quæ enim civilia Jura (*L. Si fuerit ff. de Reb. Dub.*) ſanciunt ambos eſſe excludendos, ubi paria habent requiſita; & iniquitatem quodammodo fovere videntur, & procedunt in lucris captandis, non autem in damnis evitandis. Ergo ex Gemellis unus erit ad ſolium eligendus. At quis diſcernet geminos indiſcretos? Quis alterum præeliget? Diſtinguendum plane hic eſt Regnum de novo acquiſitum a Regno Avito.

IV. In Regno noviter quæſito nulli dubium eſt Patrem poſſe quem maluerit præeligere. Etenim filiis univerſum Imperii compen-

pendium a Patre obtinent, qui Regnum conquiſivit; Unde ſicuti ſi hic illud non acquiſiviſſet filii minime fuiſſent Reges, ita ipſe nedum alterutrum ex geminis incerto ortu in Lucem miſſis, ſed inſuper, quem vult ex filiis valet Regia donare prærogativa. Quin Populus victor poſſit de tali conqueri electione; Nam licet hic in moderanda ſucceſſione Regni ſuis laboribus parti totum faciat; nihilominus dolere nequit ſi Rex unum, magis, quam alterum eligat, dummodo intra ſuam familiam cadat electio; Nam tacita Populi Lex duntaxat eſt ne Regnum ſucceſſivum extra familiam alienetur. Sic *David*, primus e ſua familia Hebræorum Rex *Salomonem* natu minorem prætulit *Adoniæ* Majori (*Reg. lib.* 3. *cap.* 1.). Sic *Ptolomeus* minimo natu ex filiis Regnum tradidit (*Juſtin. lib.* 16. *cap.* 2.). Sic *Herodes* de ſucceſſione filiorum ſuorum varie diſpoſuit (*Joſ. antiq. lib.* 17. *cap.* 10. & 13.). Sic *Robertus* Guiſcardus *Rogerium* ſecundo genitum in Principatu prætulit *Boemando* (*Murator. Annal. Anno* 1081.). Sic *Wilelmus* conqueſtor Regnum Angliæ adjudicavit *Wilelmo Rufo* ſecundo genito, rejecto in Nomannia *Roberto* primo genito (*Guil. Pictar. de Geg. Guil.* I. & *II.*). Sic demum *Alphonſus* Aragoniæ Rex Regnum Neapolitanum tanquam primus acqui-

quirens in *Nothum* tranſtulit (*Guicciard. lib.* 5.).

V. At difficultas urget; & quidem maxime urget in Regnis Avitis: Hæc ſiquidem filiis non ex Paterno Beneficio; ſed ex antiqua Populi Victoris, & Regis conquirentis lege deferuntur. Quid igitur faciendum erit? Nonnulli quæſtionis deciſionem *armis* linquendam eſſe authumant; Alii *Arbitris*, aliqui *ſorti* committendam putant; Aliqui *alternas vices* amant; Non deſunt tandem, qui *formoſiorem*, quique *robuſtiorem* præferant. Sed parum juſte, commodeque, ut mea fert opinio.

VI. Etenim quænam hæc Juriſprudentiæ ſpecies eſt: *Arma*; Quibus ſumptis

Tollitur e medio Sapientia, vi geritur res;
Spernitur Orator bonus, horridu miles amatur.
Non ex Jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt.

ut ajebat Ennius antiquus Poeta (*Cicer. in Orat. pro Muræna*) Certe nodus iſte vinculum Gordianum non eſt, quod nonniſi gladio ſolvi queat. Præterea autem etſi vetus ſit, barbarum tamen ab omnibus ſemper reputatum fuit effatum illud *Jus in armis*; Jura ſi-

ra ſiquidem & leges inter arma ſilent; Unde tragica execratio merito reputatur *Eurypidea* illa, in *Phœniſſis* ſententia

Fratres acuto dividant ferro Domum.

Nec *Pyrrhus*, quamvis multis laudetur nominibus, laudem certe ab ullo unquam meruit, quod uni Filiorum interroganti cuinam ex ipſis eſſet Regnum relicturus reſpondit: *ei qui acutiſſimum habuerit gladium* (*Plutar. in Pyrr.*). Optimeque propterea *Silius Italicus* ſingularem narraturus pugnam fratrum Hiſpanenſium de Regno contendentium, ſic orditur

Quid jam non Regibus auſum:
Aut quod jam Regni reſtat ſcelus?
(*Lib.* 16. *v.* 532.)

VII. Arbitrorum vero electio minis eſt periculoſa. Si enim pro arbitro alium conſtitueris Regem, metuendum eſt, ne id accidat, quod eveniſſe ſcimus duobus Fratribus Thraciæ Regibus, qui cum ſuarum diſceptationum Judicem elegiſſent *Philippum* Macedonem, hic ad Judicium, veluti ad bellum, inopinantibus Fratribus inſtructo exercitu ſupervenit, & regno utroſque non Judicis more, ſed fraude Latronis, & ſcelere ſpoliavit (*Juſt. lib.* 8. *cap.* 3.

cap. 3.) : Nimis familiaris nonnullis dudum evaſit *Caeſariana* illa ex *Eurypide* ſententia

Nam ſi violandum eſt jus imperii gratia ;
Violandum eſt : aliis rebus pietatem colas

Quod *Polinices* etiam apud *Senecam* violentius uſurpat

Pro regno velim
Patriam , Penates , conjugem flammis dare .
Imperia pretio quolibet conſtant bene .

Si autem minus potens pro arbitro conſtituatur in vanum omnis facillime conatus cadet ; Nam quis Laudum exequetur ? Quotidie arbitrorum Lauda in rebus privatis irrita fieri cernimus. Quid porro in Regnis eveniet ? Adde quod Arbitri eligi poſſent in ſucceſſione controverſi juris ; Sed in propoſito caſu geminorum, quorum naſcendi ordo penitus ignoratur , nulla eſt juris , aut facti etiam controverſia , quae arbitrorum ſentire valeat definitionem.

VIII. Sors pariter , quamvis pluribus in caſibus probetur , eamque non ſolum Philoſophi Ethnici laudaverint (*Plato de Leg. lib.* 3. *Ariſtotel. lib.* 4. *Politic. cap.* 14.), ſed ipſae met

mes ſacræ paginæ tum verbis (*Proverb. cap.* 16. *n.* 33. & *cap.* 18. *n.* 18.); tum etiam exemplis probaverint (*Num.* 3 *cap.* 34. *Regum I. cap.* 10. *Act. cap.* 1.). Nihilominus nemini in propoſito caſu probari poteſt. Non quia ſors prohibita ſit; (ſortes quippe, quarum abhominandum nomen eſt, ſunt illæ, quæ tantum *Juliano* Apoſtatæ, ac univerſim Gentilibus placebant; ſortes nimirum Dæmoniacæ, ſeu ſortilegia); ſed quia ſors idem propemodum eſt, quod micare, quod talos jacere, teſſeraſque, in quibus temeritas, & caſus, non ratio, nec Conſilium valet; totaque propterea res eſt plena fallaciis, ut antiquorum temporum docent Hiſtoriæ. *Darius* etenim filius *Iſtaſpes*, & *Cresfontes* Meſſenius; alter Perſarum Monarchiam excluſis omnibus aliis conjuratis; alter Meſſeniorum Regnum poſtpoſitis filiis *Ariſtodemi*, fraudolenta ſorte conſequuti ſunt (*Herodot. lib.* 3. *Pauſanius lib.*). *Nicias* vero Athenienſis, fallaci ſorte Spartanis primam in reddendis iis, quæ bello abſtulerant, vicem detulit (*Plutarc. in ejus vita*). Quamobrem *Dandulus* Sapientiſſimus Venetorum Dux ſortitionis fraudem metuens noluit poſt captam a Latinis Conſtantinopolim, ut Imperator ſorte, quemadmodum reliqui ſuaſerant, eligeretur (*Nicet. de Balduin. Imp.*). Quem vero latet ſortem

tem omnium peſſimo, deterrimoque perſæpe conferre Magiſtratum (*D. Baſilius exameron. Congreſſ.* 8.); Adeo ut *Auguſtus* Imperator poſtquam ſuſpecto ſuffragiorum ambitu ſorte duci juſſerat Magiſtratus, illud demum diù manere non permiſerit, quia ſors ad parum idoneos deerrabat (*Tacitus Annal.* 13.). Sors quippe, ut veteres Poetæ fabulabantur, filia eſt Fortunæ

Quæ eſt ſævo læta negotio
Ludum inſolentem ludere pertinax;
(*Horatius lib.* 3. *Od.* 29.)

Quis itaque Fortunæ, quæ nihil habet prudentiæ, nihil Conſilii, committat Electionem illius, in quo prudentia, & Conſilium præmaxime *eſt* deſideranda? An tu, olim ajebat *Philo*, (*de Creat. princ.*), Medicum curandis ægris, aut Gubernatorem agendis navibus ſorte ducis, ac non potius maturo Conſilio eligis, quem in artis operibus deprehendis exercitatiſſimum? Præterea autem hiſce in caſibus ineptum prorſus eſt ſortis remedium. Sorte equidem uſi fuerunt ſucceſſores *Alexandri*, ac *Triumviri*. Quid autem ea iſtis profuit; ſi nihilominus cruentiſſimis bellis poſtea inter ſe dimicaverunt (*Juſtin. lib.* 13. *Q. Curt. Hyſt. in fin. & Svet. in Auguſt.*).

Re-

Remus pariter ſortis auſpicio victus non prius acquievit, quam *Romulus* eum vita denique privaverit, veluti præter *Livium* (*Hyſtor. lib.* 1.) optime etiam cecinit Lucanus (*Farſal. lib.* 1.)

Nec gentibus ullis
Credite, nec longe Fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerunt Sanguine Muri.

Non immerito propterea (*Juſtinus Hyſtor. lib. I. cap.* 10.) poſtquam admirabundus narravit moderationem Satraparum Perſarum, qui audito equi hinnitu confeſtim Darium Regem ſalutaverunt, concludit: *Sic Regnum Perſarum ſeptem nobiliſſimorum virorum virtute quæſitum tam levi momento in unum collatum eſt. Incredibile prorſus tanta patientia ceſſiſſe eo, quod ut eriperent magis, mori non recuſaverint.*

IX. Alternæ quoque vices ſpecie tenus æconomicæ videntur, ſed funeſta nimis, quominus ſequi poſſint, fuerunt exempla *Thieſtis*, & *Atrei*; *Eteoclis*, & *Polinicis*; *Amulii*, & *Numitoris*, quorum alternæ vices docuerunt Populos, ne impoſterum in talia inciderent exitia.

Xs De-

X. Denique quid robur, aut forma præſtare queant penitus ignoramus ; nam ſi a robore corporis , aut forma oris antecedentiam nativitatis arguendam eſſe contendunt , egregie errant ; quia ſæpe ſæpius accidit , ut debilior laxatis infirmioribus ligamentis prius , & forſan immaturius decidat, quam robuſtior. Evenire etiam poteſt , ut ille , qui debilior erat in utero, poſtmodum, vel majori nutritionis copia, vel aliquo alio ex accidenti robuſtior evadat . Idcircoque a robore corporis ne ſuſpicari quidem poteſt anterioritas nativitatis. Forma pariter oris quid juvat? Etenim formoſiores plerumque debiliores ſunt, ut ſcimus de *Nireo Græco*, & *Paride Trojano*, qui omnium formoſiſſimi , ſed omnium etiam debiliſſimi fuerunt. Feminæ pariter maribus pulcriores ſunt , & nihilominus debiliores eſſe unuſquiſque conſentit . Ideoque non eſt cur a pulcritudine erui queat ordo nativitatis . Si vero idcirco afferunt robuſtiorem, aut formoſiorem præponendum eſſe , quia robur, & forma omnium ſibi rerum vindicent Principatum, nimium falluntur. Divina quidem non inficior res eſt pulcritudo, quæ ſola hanc habuit ſortem , ut maxime omnium perſpicua eſſet , & amabilis ; ita plane ut in nonnullis quandoque Regnis obtinuerit etiam Principatum . Nam apud Perſas ex lege minime fas

ſuit Monophthalmon Regem conſtituere; Ob quam cauſam *Corroe Cabadis* filius, minor natu, antelatus in Regno fuit fratri Majori nomine *Bazi* qui & *Lamas* vocabatur, quod hic altero oculo captus eſſet, veluti teſtatur *Trocopius de Bello Perſico lib.* 1. & 2. At Regi firmiſſimum, infractumque ingenium, pulcherrimamque mentem ad regendos Populos decet eſſe, non Athleticum corporis ſtatum, aut Adonicam oris ſpeciem. Robuſtiſſimus quippe, & corpore vaſtiſſimus erat *Maximinus* (*Jordan. de Reb. Getic. cap.* 39.), qui maximus fuit inter Romanos Imperatores Tyrannus; ita ut *Cyclops*, Buſiris, *Sciro*, & *Typho*, & *Gyges*, ab omnibus appellaretur (*Herodian. lib.* 7. *cap. in Maxim:*). *Commodus* autem, & *Heliogabalus* adeo pulchri fuerunt, ut illius pulcritudini, ac flavæ criſpæque Cæſariei populus Romanus acclamaret (*Herod. lib.* 1.); Secundus vero, dum ſui numinis *Heliogabali* Sacerdotio fungeretur allexerit Romanos Milites, qui deſciſcentes à ſene *Macrino* illum purpura Imperatoria condecoraverunt (*Herod. lib.* 5.): Et nihilominus deterrimos utroſque fuiſſe Imperatores neminem latet, qui Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores paulum delibaverit. Contra autem debiliſſimus, atque informis corpore fuit *Medon Codri* filius, qui Apollineo Oraculo prælatus

latus in Regno extitit *Neleo* fratri Minori, quámvis hic illum ob imbecillitatem pedum excludere ſatageret (*Pauſan. lib.* 7.). *Ageſilaus* Magnus Lacedemonum Rex claudicabat (*Juſt. lib.* 6.). *Philippus*, & *Antigonus* Reges monoculi fuerunt, eodem pacto, quo *Annibal*, & *Sertorius* celeberrimi exercituum Duces (*Plutarc. in Sertor.*): Quo etiam vitio laboravit *Candaces* Ethiopum celebratiſſima Regina (*Strabo lib.* 17.). Linquenda igitur eſt Regum electio, ad inſtar Apium, Indis, qui *Catheam* incolunt, & Ethiopibus, qui ſibi illos in Reges eligere conſuevere, quos pulcritudo cæteris præferret (*Strabo lib.*15.)

XI. Quoties itaque nec armorum, nec ſortis alea placere poteſt; ſi pariter arbitrorum electio, aut metuenda, aut ſpernenda eſt; ſi alternæ vices exitiales ſunt; ſi robur, & forma nihil præſtant. Aliud certe non ſupereſt, niſi ut Patri, donec in humanis eſt, electionis arbitrium nedum in Regnis noviter quæſitis, de quibus antea loquuti ſumus, ſed etiam in avitis, atque antiquis delegetur. Et jure quidem, meritoque. Quis enim proprio Regno aptius proſpiciat, quam Rex? Quis filiis melius conſulat, quam Pater? Quid quod Paternum Dominium in Liberos natura ipſa conſtituit; atque ita conſtituit, ut nullum eo potentius, nullum firmius ſit; nullamque pa-

tiatur circumſcriptionem (*Ariſt. Politic. lib.* 1. *cap.* 8, *Gell. Noct. Attic. lib.* 2. *cap.* 2.). Nec quidquam movet in contrarium illorum Naturaliſtarum , ac Politicorum ſententia , qui Controverſiam Juris in ſucceſſione Regni a Patre definiri non poſſe authumant ; ex eo quod ejus definitio vim obtinere deberet poſt ipſius obitum , atque in illud recideret tempus , quo illi nulla amplius eſt Reipublicæ cura , judiciumque ; Non enim hic agitur de Controverſia Juris, ſed facti. Leges equidem omnium Regnorum a tacito, vel expreſſo Populorum conſenſu, atque primorum acquirentium auctoritate confirmatæ exoptant, ut Primogenitus præferatur in Regno . Inter duos autem geminos uno utero affuſos ob quorum indiſcretam nativitatem Primogenituræ prærogativa ignoratur , uterque eſt Primogenitus ; unde Pater alterutrum eligendo nihil derogat Legibus Regni , neve eas ullimode explicat ; ſed dumtaxat factum ut ita dicam Filiationis enodat , quod ad Parentes pertinere omnium ſemper populorum ita probavit aſſenſus , ut defuncto *Ariſtodemo* Rege Spartæ Lacedemones præeunte Delphico Oraculo Matrem ipſam ſuorum filiorum Judicem , ac enatæ controverſiæ inter ſuos geminos arbitram conſtituerint , veluti ſuperius ex *Herodoto* enarravimus . Immo Paterna deliberatio

in hujuſcemodi filiationis controverſia tanti uſque valuit, ut *Ariſtonis*, qui *Demaratum*, utpote ſeptimeſtrem; *Agidis*, qui *Leotichidem* utpote Decimeſtrem filios Regno excluſerunt, judicium fuerit a Populo approbatum quamvis eſſet, quo poſſet iſtud merito improbari.

XII, Diſputat *Ariſtoteles* (*Politic. lib.* 3. *cap.* 11.), quomodo in Regnis ſucceſſivis fiet, ſi filii Regis ſint pernicioſi, & malæ indolis: & concludit, quod *non relinquat Regnum hujuſmodi natis Rex; cum id ſua ſit poteſtate*. Ergo ſi ad poteſtatem paternam pertinere poſſet inter filios optimos, & pernicioſos cognoſcere. Si ob id licuit *Jacobo Judam* quartogenitum *Rubeno* præferre Primogenito; atque *Ephraimum* ſecundo loco natum *Manaſſi* Primonato præponere (*Gen. cap.* 48.). Si pariter *Roboam* Salomonis filius potuit *Abiæ* natu minori Imperium relinquere, etiamſi non ſolum Regni conditio, & natura, ſed ſpeciales Hebræorum Leges Primogenitum omnino preferrent (*Paralip. lib.* 2. *oap.* 11. & *cap.* 22.). Si Perſarum Proceres nihil propoſuerunt quominus *Darius* Hiſtaſpis inter *Artabazanem*, & *Xerſem* filios cognoverit (*Herodot. lib.* 3.); & *Darius* Nothus inter *Artaxerſem*, & *Cyrum* Minorem (*Juſtin. lib.* 5. *cap.* 11.). Si *Calo Joannes*

M 3 Orien-

Orientis Imperator *Manueli* omnium filiorum ultimo Imperium tradidit excluſo Iſaacio Primogenito (*Nicet Annal. in fin.*) . Si *Henricus IV.* Occidentis Imperator Conradum Italiæ Regem Germaniæ Regno excluſit , inque illud evexit Henricum V. Secundogenitum (*Albus Uſpergen in Cron.*) . Si *Fridericus II.* itidem Imperator ſubmoto , atque in carcerem detruſo *Henrico* Primonato , quem Regem antea creaverat , *Conradum* poſtea coronavit (*Murator. Annal. Ann.* 1235. & 1236.). Quinimmo ſi *Phrautes* Parthorum Rex Fratri *Mitridati* excluſis filiis Regnum tradidit (*Juſtin. lib.* 41. *cap.* 5.) . Si *Conradus III.* Imperator *Fridericum Ænobarbum* fratrem filio antetulit (*Carion. lib.* 4.); Cur illicitum erit Patri inter geminos indiſcretos diſcernere quorum neuter dicere valet ſeſe certo Jure, quod ordo naſcendi, & natura ipſa Gentibus dedit, fuiſſe privatum ?

XIII. Cæterum ratio illa , quod nimirum Pater nequeat de Regno diſponere , quia diſpoſitio recideret in tempus Mortis, quo Rex eſſe definit , nimis probaret ; Probaret quippe Leges omnes a Regibus factas, fœdera cum Populis , ac Regibus pacta , contractus , & privilegia ab illis conceſſa per iſtorum Mortem expirare . Inſuperque omnia etiam ob eamdem rationem Privatorum abrogari deberent

rent privatorum quoque Teſtamenta; quæ tamen licet a Jure Civili formam cæperint; nihilominus plerorumque Prudentum Conſenſu ea in ipſo Jure naturæ ſeu Gentium fundata eſſe compertum eſt (*Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 6. §. 14. num. 1. Barbeii rac. in Puffendorf. du droit. de la Natur. & de Gens livr. 4. Buddeus Selecta Jur. Natur. & Gent. de Summor. Imperaut. Teſtamentis*) Quis porro neget Judici etiam Pedaneo poteſtatem definiendi præventiva Judicia valitura poſt ſui etiam mortem? Nemo hercle. Cur ergo quæ ſimplici Judici non denegantur, denegabuntur Regi?

XIV. Sed evenire poteſt Patrem morte præreptum nullum ex geminis, ſive in Regnis noviter acquiſitis, ſive in Regnis veteribus, & avitis præelexiſſe. Quis tunc Regem ſecernet? *Populus* utique, & hujus loco *Regni Proceres*. A Populis namque ſuum agnoſcere Reges imperium nemo amplius dubitat. Populis quippe, omnibuſque hominibus Deus Optimus Maximus totius contulit Orbis Imperium in ipſo Creationis actu iis dicens -- *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini &c.* -- (*Geneſ. cap. 1.*) Et reapſe unus homo tanti in initio non erat, ut per vim cogere aliorum liberorum hominum exercitum,

 ſibi

ſibique Regnum Populis diſſentientibus parare poſſet. Itaque ut narrat *Cicero* (*de Offic. lib.* 2.) cum premeretur initio multitudo ab iis, qui majores Opes habebant, ad unum aliquem confugiebat virtute præſtantem, qui cum prohiberet injuria tenuiores, ſummos cum infimis pari jure retinebat. Hoc autem pacto Medi, qui primi Reges habuerunt (*Diodor. Sic. lib.* 3.) *Cejocem* ſibi ipſis conſtituiſſe narrat *Herodotus* (*in Clio*). Quandoque etiam, ut obſervavit *Ariſtoteles*, (*Politic. lib.* 5. *cap.* 10.) eveniebat aliquem præſtantem Virum belli Ducem, vel Populum, ne in ſervitutem incideret, conſervaviſſe, vel iſtum a ſervitute liberaſſe, vel auctorem fuiſſe Urbis alicujus condendæ, vel demum Regionem aliquam communibus armis acquiſiviſſe. Hunc igitur Populus haud immemor beneficii, ſibi Regem conſtituere non abnuebat, ut per quem vel ſervaverat, vel acquiſiverat libertatem, & Imperium, per eumdem hoc, & illa tueretur; quemadmodum Athenis *Codro*, in Perſia *Cyro*, Regibus autem Lacedemoniorum, Macedonum, & Moloſſorum, accidiſſe idem tradit *Ariſtoteles* (*Politic. d. lib.* 5. *cap.* 10.). Tractu autem Temporis contigit, ut apud pleroſque, atque præſertim apud barbaros Regia Poteſtas ſenſim evaſerit in Tyrannidem, & Dominatum;

Adeo

Adeo ut cum in Regum ſolio audiri cæperint barbaræ illæ voces, *quod Regi placet Lex eſt*; Tum cæperint etiam Regna, ſic Regibus volentibus, cogentibuſque, per ſucceſſionem deferri. Qui propterea regnandi modus tunc barbaricus dicebatur, & erat. (*Ariſtotel. d. lib.* 3. *cap.* 10., 11.) Etenim Regnorum natura ea revera eſt, ut electionem deſideret (*Idem Politic. lib.* 3. *cap.* 10. *&* 11. *ibique D. Thomas lib* 5. *cap.* 10.). Principatus quippe in populos non ſanguini deferendus eſt, ſed virtuti, & vitæ (*Hieronym. relat. in Can. Moyſes Cauſ.* 8. *qu.* 1.). Itaque etiamſi apud Orientales demum electio eviluerit, adhuc Romanorum priſca illa gens, apud quam virtus ſummo ſtabat in loco, Reges nonniſi electione ſibi præfecit, unico excepto *Tarquinio ſuperbo*, qui propterea non Rex, ſed Tyrannus habebatur. Imperatores vero, qui ſub modeſto hoc, ac privato nomine Regium totius Reipublicæ regimen occuparunt, neſcio an dicam electione, ſed certe ne ſucceſſione quidem, ſi primos prætereas Cæſares, Rempublicam invaſiſſe nequimus inficiari. Poſtquam autem profligato a Barbaris Occidentali Imperio in plurima iſtud ſciſſum fuit Regna, quis per plura ſæcula varios tunc exortos Reges creavit niſi Populus? Quis niſi Populus elegit Impe-

Imperatores illos, ad quos deficiente ſtirpe Carolina renovatum devenit Imperium Occidentis? Nunc autem nonne pluribus adhuc in locis obtinet electio? Præterea Eccleſiaſtica munia, & Dignitates, ad quas non niſi electione licuit ſemper, licetque pervenire. At *Germani* certe ſibi electione Imperatorem præficiunt; *Poloni* Regem; Electioniſque uſus in aliis hactenus viget Regnis Septentrionalibus. In *Africa* pariter, & apud *Indos* non deſunt etiam nunc Regna electiva. *Abiſſini* demum ſucceſſionem electioni commiſcent, ita tamen, ut electio primas ferat, cum non is ex Regio Sanguine, quem proximum Regi fecit Ordo naſcendi, ſed quem vota electorum digniorem reputant, in ſolium hactenus elevetur.

XV. Igitur, quis dubitet in ancipiti Geminorum eventu jus eſſe populo alterum præeligendi? Non inficior, quod in Regnis ſucceſſivis ſtatim ac Populus omne ſuum Jus tranſtulit in Regem, ejuſque ſucceſſores, nequit amplius, Regia durante familia, ſuum Jus ſibi arripere; ac quidquam innovare; ſed ubi in ipſamet Regia familia anceps ſucceſſor manet, quis judicabit niſi ille idem, a quo Regia proceſſit auctoritas, & qui ſucceſſioni aut formam dedit, aut conſenſum accomodavit? Nam quamvis per Legem Re-

giam

giam omnis authoritas a Populo actu tranſiverit in Regem; a quo per ſucceſſionem ea defluxit in poſteros; adhuc tamen illa ſemper in potentia manet penes populum; quem proinde nihil impedit, quominus, legitima ſubſiſtente cauſa, ſuam valeat potentiam ad actum revocare. Sic Meſſenii poſt obitum *Euphaces* ſine liberis, quem ex Regali Epytidarum genere regnare oporteret dijudicarunt (*Pauſan. lib.* 4.) ſic quæſtionem exortam inter *Xerſem*, & *Artabazanem*, quam ex *Herodoto* definitam a *Dario* Patre exciſſe *ſuperius diximus*, a populo fuiſſe cognitam tradit *Plutharcus* (*de Amore frat.*) ſic Franci poſt obitum *Ludovici V.* rejecto *Carolo* Duce Lotharingiæ ejus Patruo, Regni faſces ad *Hugonem Capetum* detulerunt (*Sigebertus in Cronic. Anſelm. de la Maiſon Royal de de France To.* 1. *pag.* 51. & 52.). Sic poſt mortem *Henrici* Imperatoris, ac Regis Germaniæ, qui inter Divos referri meruit, controverſiam de Regno Germaniæ inter Geminos Patrueles *Conradum* Majorem, & *Conradum* Minorem, diremſerunt ſuffragia Procerum, a quibus Regnum fuit *Conrado* Majori cognomine *Salico* adjudicatum (*Wippo de Vita ejuſdem Conradi Salici*). Jam vero quis ignorat Romanum Populum Imperatores nequiter Regno abutentes vi, ac ferro dejeciſ-

ſe,

ſe, quamquam de iis Legem tuliſſet Regiam (*Dio lib.* 53. *de Tabula Enea in Ædibus Capitolinis*). Qualis porro ratio movit Francos, ut Childericum Regem abdicarent, niſi ea ipſa, cujus fuit auctor Summus Pontifex Zaccharias, dum ipſis reſcripſit -- *Regem Plebs conſtituit, eumdem & deſtituere poteſt* -- (*Avent. Annal. Boi. lib.* 3.) ſi ergo majora poteſt Populus, cur minora nequibit.

XVI. At falleris, opponet aliquis Patrem, aut Populum poſſe de Regno, ejuſque ſucceſſione cognoſcere; Regia namque poteſtas eſt a Deo, ut Sacrarum litterarum plurima pandunt Oracula (*Prov. cap.* 8. *Matth. c.* 22. *Paul. Epiſt. ad Rom. cap.* 13. *Petrus Apoſt. Epiſt.* 1. *cap.* 2.)? Ita profecto ſit. Nolumus enim in hanc profundam diſputationem præter propoſitum ingredi. Verumtamen ſi Regia poteſtas eſt a Deo, certe immediate a Deo non eſt, quod una potius familia, quam alia, quod unum potius individuum, quam aliud, quod unus potius frater, quam alius regnet. Id quidem eſt a populis, qui vel tacite, vel expreſſe magis in ſucceſſionem, quam in electionem aliquando conſenſerunt. Quocirca non eſt, cur in primis Pater, & deinde iidem Populi ſuppoſita etiam divina Regum inſtitutione, nequeant ambiguitatem ſucceſſionis in caſu gemellorum dirimere;

Hoc

Hoc enim pacto non de ipſa Regia poteſtate, ſed de modo ſuccedendi unice tum Pater, tum Populi cognoſcunt, dijudicantque. Et reapſe, ſi Regia familia penitus deficiat certe non ipſe Deus ſucceſſorem deligit, ſed vel ultimus Rex per alicujus adoptionem a Populo non improbatam, ut plures factitarunt Romani Imperatores; vel Populus ipſe; & hujus loco Regni Satrapes; ergo, ob eamdem rationem, Regiæ ſtirpis incertitudo, & prærogativa eſt vel a Patre, vel a Populo diſcernenda.

XVII. Enim vero ſi ulla uſpiam, certe nulla alia Monarchia a divino inſtituto ortum ducit, quam ſpirituale ſummi Regnum Pontificis, quod, ſolum ab expreſſa Chriſti ordinatione ſuum cæpit ortum; Et tamen nemo ignorat, quod enata controverſia de genuina electione trium Pontificum *Benedicti*, *Gregorii*, & *Joannis*, Eccleſia in *Concilio Conſtantienſi* congregata de illa cognovit, ac Pontificali Pallio exutis tribus decertantibus Pontificibus ad ſolium evexit *Cardinalem Odonem Columnenſium*, qui ſe *Martinum V.* voluit nuncupari. Igitur potiori Jure Populi a conventu Procerum repreſentati de Regia ſucceſſione inter fratres cognoſcere valebunt.

XVIII. Diximus Populum, & loco illius *Pro-*

Proceres eligere debere. Id, quod concedendum ab omnibus eſſe non dubito. Nam quod univerſus eligat Populus incommodum eſt, & impoſſibile. Proptereaque omnibus in Regnis, in quibus per electionem ſuccedıtur, Proceres ſubmoto ab electione Populo ſoli eligunt. Itaque Papa a ſolis Cardinalibus; Imperator Germaniæ a novem Electoribus; Imperator Abyſinorum a Sabandris; Rex Poloniæ a Palatinis; Rex Angliæ a conventu Ordinum, atque omnes alii electivi Reges ab aliqua Selecta virorum manu eliguntur. Donec autem Clerus indiſcriminatim, & Polus Rpmanos Pontiſices eligebant quot ſchiſmata, quot Potentiorum violentiæ, quot cædes Urbem non cruentarunt? Electio *Damaſi*, ut reliquos prætercam, viri piiſſimi, ac inter Divos demum adſciti, conſtitit ſexcentas animas, quas corpore exuit inimica Factio *Urſicini*. Multitudo ſiquidem, & Populus turba turbulenta eſt; nec mentem habet. Unde *Plato* (*de Rep. Dial. 6.*) rectiſſime vocabat Populum belluam multorum Capitum; Ad quod alludens *Demoſthenes* dum extorris, & in exilium pergeret, exclamavit: *O Pallas, quæ tribus infeſtiſſimis belluis, delectaris, Noctua, Dracone, & Populo* (*Plutarc. in vita Demoſthenis*). Optime proinde *Cicero* ſæpiſſime Populum modo Mari, modo Ventis comparat.

Es

Et Virgilius (*Æneid. lib.* 2. *v.* 39.) elegantiſſime cecinit

Scinditur incertum ſtudia in contraria Vulgus Etenim
Velle ſuum cuique eſt, *nec voto vivitur uno*, veluti præclare obſervavit Perſius (*Sat.* 5.

XIX. At inquies, ubi Regna ſunt electiva eſt lecta jamdudum Virorum manus; ſed in ſucceſſivis, de quibus loquimur, non ſunt Proceres ad id deſtinati; Unde quinam erunt illi, qui indiſcretos gemellos diſcernent? Facilis tamen huic Inſtantiæ reſponſio eſt. In omnibus enim Regnis ſunt Magnates, ut in Gallia Pares, in Hiſpaniis Grandes; In omnibus ſimiliter ſunt ſuprema Religionis Capita, qualia inter Catholicos ſunt Epiſcopi; Ex his itaque, cum illis conjuncti, conventus ſtatim fiet, a quo gemellorum controverſia judicabitur. Et revera tunc, cum de ſucceſſione *Henrici IV.* in Regnis Galliarum decertabatur; quamvis in hiſce Regnis, vel nunquam locum habuerit electio, vel ea pluribus jam ab hinc ſæculis deſierit; nihilominus ſtatim repertum fuit ubinam cauſa agi potuiſſet, ſi *Henricus* noluiſſet potius, prout egit, de facto, quam de Jure rem componere;

re; etenim ejus cauſam prolixe in Comitiis Pariſienſibus fuiſſe agitatam refert *Thuanus* (*Hiſtor.sl?b.* 105) Quod ſi in Regno deficiat ordo Magnatum exemplum Reipublicæ Hollandiæ ſequendum erit; tunc enim ex ſingulis Civitatibus eligendi erunt aliquot viri, qui ſuffragii jure potiantur, atque una cum ſummis Religionis Capitibus, puta Epiſcopis enatam geminorum dirimant controverſiam. Interim vero dum comitia expectantur Regnum manebit in interregno, & ſumma Imperii adminiſtratio recidet ad Senatum Regiæ Civitatis, ſi in ea Senatus adſit, & ſi non aderit ad illos, quibus Tutela Regis committenda eſſet, quoties Pater obiret relicto ſucceſſore in ætate infantili, ſeu minorenni.

XX. Satis Patris, ſatis Populi cauſam peroravimus. At, adhuc hæret aqua, ſi Pater non eligat; & Populus aut in electione alterutrius ex Gemellis non conveniat, aut in comitiis coire nequeat, aut metus incedat, quod Regnum per diuturnam neceſſariam comitiorum dilationem in *Anarchiam* prolabatur. Utique *Idelphonſus Perez de Lara* (*Compend. Vit. Homin. cap.* 12.) miratur Doctores tractantes de hac ardua quæſtione non meminiſſe Summi Pontificis; Ideoque abſolute, atque in genere pronunciat hujus debere eſſe in hiſce circumſtantiis arbitrium electionis;

motus

motus præcipue a ſanctione *Deuteronomii c. 17.* Ego vero licet non inficier illimitatam prorſus eſſe auctoritatem Papæ, qui utriuſque juriſdictionis revera apex eſt, & complementum; ut plurima demonſtrant notiſſima rerum a Pontificibus actarum exempla; & ratio etiam convincit, (*Bellarmin. Controverſiar. de Roman. Pontific. lib. 5.*); Nihilominus in id non adducor, ut credam prius eſſe debere Summi Pontificis judicium judicio Patris, & Populi; Iſti namque immediatam, & directam habent in Regno cauſam. Præterea etiam locus *Deuteronomii* non jam abſolute ad Sacerdotes aſcendendum eſſe declarat, ſed eatenus conditionate ad eos pergi ſtatuit, quatenus -- *Difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe proſpexiſtis .... & Judicum inter Portas tuas videris verba variari* --. Verum enim vero ſi allata non arridet abſoluta *Doctoris Hyſpanici* ſententia; haud tamen eam deſpiciendam eſſe tunc exiſtimo, cum Patris deſit Prælectio, & Proceres aut nullatenus, aut difficulter in electione conveniant; Tunc enim a Populis, qui in Catholica degunt veritate, ſummi adiri ſolium Pontificis, vel decet, vel prorſus debet. Is namque univerſorum Patrem dici, atque eſſe cum omnium Scriptorum vox, tum ſuum quoque ipſius antiquiſſimum Papæ

N nomen

nomen aperitiſſime declarat ; Unde tunc vices ipſius Patris eum revera convenit occupare. Nec reapſe ab illo metuenda eſt vis illa, quæ ab electione arbitrorum nos ſuperius retraxit. Nam licet Pontifices in latiſſima regnent temporali ditione, nihilominus vel ea non potiuntur temporali Poteſtate, qua abuti poſſint, aut velint ; vel Eccleſiaſtica Manſuetudo, quæ armis ipſos indulgere non ſinit, haud patitur eos aliena latronum more invadere. Quid quod nos ab arbitrorum ſtatuendo judicio prohibuit tum rei difficultas ; quis enim illos eliget : Populus ? an Gemellis ? Quid porro ſi ille, vel hi in electione non conveniant ? Tum juris alieni præjudicium. Nam intollerabile prorſus videtur, quod confugiendum ad arbitros ſit cum & Pater, qui eſt Tutor, & Judex Regni ; cum & Populus, qui auctor illius eſt controverſiam poſſunt definire. Sed Populum univerſum ad Arbitrum aſcendere poſtquam nec Pater controverſiam agnovit, nec Populus ipſe dirimere valet non ſolum tollerabile, ſed neceſſarium omnino eſt. Itaque cum in Relatis circumſtantiis Arbitri judicium unicum ſit bellorum, & Anarchiæ remedium ; cumque e contra viciſſitudinaria electio arbitrorum magis periculi plena ſit, quam ipſa Gemellorum prælectio ; profecto rei exigit
neceſ-

neceſſitas, ut tunc integra, atque immota ſervetur relata Deuteronomii ſanctio; quam bene ad propoſitum renovavit *Innocentius III. in cap. per Venerabilem* (*Tit. qui filii ſint Legitimi*). Et certe tunc, cum Franci *Childericum* Regno ſpoliare ſtudebant cujuſnam conſilium, cujuſnam auctoritatem exquiſivere, niſi Summi Pontificis *Zacharias*, cujus nutu illo dejecto, *Pipinum Caroli Magni* Patrem in ſolium collocavere (*Sigibertus in Chronic. Ann. 750. Marian. Scot. Chronic. lib. 3.*) Luſitani pariter cum *Sanctio Regi* inutili, ac male Regno abutenti coadjutorem dari exoptarent, a quo hunc petiere niſi a Summo Pontifice *Innocentio IV.* maximo noſtræ Liguriæ ornamento; qui celeberrimus depoſitione *Friderici II. Imperatoris* (*Cap. ad Apoſtolicæ de ſentent. & Re Judic. in 6.*), celebris in eo etiam fuit, quod *Alphonſum* illius *Regis* fratrem conſtituerit Regni Portugalliæ adminiſtratorem cum omnimoda poteſtate (*Cap. Grandi de Supplenda Negligen. Prelat. in 6.*).

XXI. Actum eſt de *Regno individuo*, quale eſt omne Regnum de ſui eſſentia unicum, quia, ut diximus, ſi Civitates, & Provinciæ dividerentur ammitteret qualitatem Regiam, quæ in certo Civitatum numero, & potentiæ robore conſiſtit; Tempus nunc eſt, ut

ad *Monarchias* deveniamus. Antea tamen paꝛrumper diſſerendum eſt, quid faciendum ſit de altero gemino excluſo, quidve huic ſit retribuendum. *Dionyſius Dionyſii* Siracuſæ Tyranni filius, & *Bajazetus I.* Turcarum Imperator ſe ab hac lite facillime liberarent (*Juſtin. lib.* 21. *cap. l.*) : Ille quippe regno potius omnes fratres morte mulctavit; Hic inter Turcas mores invexit Imperium auſpicandi a Parricidiis, ac fratricidiis (*Vaſſ. in Bajaz.*); Imitaturus forſitan ſolertiam prudentis agricolæ, qui arbori, & viti minores ramuſculos circumquaque amputat, ut præcipuum germen in truncum excreſcat: Qua tyrannica ſimilitudine *Plutarcus* excuſare contendit *Dejotarum* Armeniæ Regem, qui ut uni filiorum pinguius conſuleret reliquos omnes trucidavit (*Dion. lib.* 47.) : Eademque ad firmandam Primogeniturarum æquitatem abutitur *Dominicus de Soto* (*De Juſt. & Jur. lib.* 4. *q.* 5. *art.* 1.). At impia hæc ſunt, quæ ipſoſmet quoque Barbaros horrore non perfundere non valent. Quis enim tam immanis, tam efferus ſit, qui Parricidia, & fratricidia non deteſtetur? Sed ſi impia hæc ſunt, certe ne commoda quidem eſt opinio *Grotii* (*de Jur. Bell. & Pac. lib.* 2. *cap.* 7. §. 13.), qui, forſitan Legum civilium Sectans Oracula (*L. ſi familia ff. famil. erciſ.*), ſentit alterum

terum ex geminis electum debere medietatem valoris totius Regni in pecunia alteri excluſo rependere; Nam quomodo id contingere poſſet niſi cum maximo detrimento totius Regni, quod exinde ſuo meliori præſidio ſpoliaretur cum injuria etiam Populorum, qui graviſſimo tributo eſſent onerandi? Præterea autem nimis periclitaretur Rex electus, ſi adeo grandem pecuniarum cenſum Fratri excluſo tribueret. Etenim quænam illi ſecuritas in Regno? *Amulius* plane, cui paternæ opes obvenerunt facillime *Numitorem*, cui Regnum obtigerat circumvenit, Regnumque ſurripuit (*Ovid. Faſt. lib.* 3.). Verumtamen idem *Grotius* ſuæ ſententiæ addit, id fieri debere, ſi & quatenus id fieri poſſit; quod idem eſt ac ſi diceret fieri nunquam debere; Etenim quandonam id fieri poterit?

XXII. Igitur, ut tandem Orationem hanc concludamus ſi Pater peculiaria habeat allodia a Regio Patrimonio diſtincta iſta omnia cedere debere favore fratris excluſi quilibet facillime conſentiet; dum enim alter univerſo Regio Fiſco, cunctoque gaudet Regio Patrimonio, æquum videtur, ut alter allodialibus ſaltem fruatur bonis; adeo ut illi Regia, huic paterna hereditas obveniat. Sed ſi Pater non habeat Patrimonium a Regio diſtinctum, vel bona allodialia non ſufficiant

victui convenienti alterius Gemelli excluſi; tunc a Regno Patrimonio eſt huic Succurrendum. Etenim filiis etiam Regum debetur legitima, quæ a Jure profluit Naturæ, cujus Leges, & præcepta ab ipſo quoque Rege ſarcta, tectaque ſunt obſervanda. Quæ plane ſequutus *Joſaphat* Rex Iſraeliticus relicto Regno *Joram* Primogenito reliquis ſex illius fratribus magnificas quaſdam diſtribuit Civitates præter argentum, aurum, & gemmarum copiam (*Paralip. lib. 2. cap. 21.*). *Brzetislaus* pariter Dux Bohemiæ moriturus in expeditione Ungariæ Proceribus convocatis mandavit, ut *Spitigneum* primogenitum in Bohemia ſibi ſucceſſorem darent reliquis filiis Moraviam dividerent, eoſque fratri primogenito obedientes eſſe juberent (*Æn. Sylv. Hiſtor. Bohem.*). *Carolus IV.* in Bulla aurea (*C. 25. §. fin.*) edixit, quod -- *Primogenitus debet ſe apud alios fratres, & ſorores Clementem, & pium exhibere continuo juxta datam ſibi a Deo gratiam, & juxta ſuum beneplacitum, & ipſius facultates* --. Itaque Gemellus electus, cui totum Regnum attigit pro modo facultatum Regni, & ex dignitate ſtirpis cæteris fratribus, ſed præcipue alteri gemello proſpiciet.

XXIII. Modus autem iſte nequit ad certam regulam reduci. *Alexander Magnus* percunctatus *Porum* Indorum Regem a ſe ſubactum,

ctum, quomodo tractari vellet, Regie reſpondit (*Plutarc. in Alex.*) Et merito. Regem enim Regie tractari a Rege convenit. Verumtamen ſi aliquá hic firmari certa velit regula, ſtatuendum eſt, ut ſit illa ipſa, quæ in omnibus viget Regnis. Utique in omnibus Regnis non ſolum Primogenito, ſed omnibus etiam poſt genitis conſultum eſt; ac pluribus in locis, & in Gallia præſertim uſuvenerunt pro Regiis filiis appanagia (*Till. lib. 2. de filiis Reg. & eor. aſſign. Henric. Coccei: de Appanag. & J. Prudentia publica cap.* 27. §. 10.). Quamobrem ſicuti gemellus excluſus per alterius electionem quodammodo tacite ſecundo genitus declaratur; itá contentus eſſe debet, ut illud ſibi tribuatur appanagium, quod pro conſuetudine Regni tribuitur ſecundogenitis. Verumtamen ſatius conſultum Regi electo erit, ſi pinguius gemello excluſo aliquantiſper proſpiciatur; Ut videlicet hinc minus de ammiſſa dignitate doleat, ac funditus ab eo novandi animus, quantum fieri poteſt, arceatur. Haud ita tamen, ut vel præclararum Urbicum, vel Exercituum illi deferatur Imperium. Etenim *Artamanes* quia ipſi nullum traditum fuerat Imperium quiete vixit (*Juſtin. lib. 2. cap.* 10.), quinimmo *Xerſem* fratrem ſibi antelatum in expeditione Greciæ comitatus eſt, eumque in

prælio navali ad *Salaminam* juvit (*Plutarc. de pietate erga fratr.*). Contra autem *Cyrus*, cui *Artaſerſes* ex judicio paterno reliquerat Præfecturam *Lidiæ*, & *Orarum Maritimarum*, bellum contra fratrem prius occulta, inde aperta profeſſione paravit (*Juſt. lib.* 5. *cap.* 11.).

CAPUT XIII.

De Succeſſione Gemellorum in Monarchiis.

I. Monarchia in ſuo vero ſenſu idem eſt ac Regale Imperium; ea quippe definitur quod ſit -- *Reſpublica in qua gubernantur omnia Imperio unicus*, *penes quam reſidet ſuprema. & libera Poteſtas*, *quæ inde in omnes Reipublicæ partes tanquam a fonte in Conciliis derivatur* --. Sed accipi etiam ſolet, quod ſit dominium plurima ſub ſe regna, & Provincias complectens; quales erant quatuor illæ Monarchiæ, de quibus vaticinatus eſt Daniel (*Cap.* 2. *&* 7.). In hoc itaque ſenſu rejectis omnibus aliis modis, quibus ea explicatur a *Tilemanno* (*in Diſcurſ. Politic.*), Monarchiam in præſenti accipimus.

II. Hanc etiam, non minus, quam regna unica, indiviſibilem eſſe ſentiebat Magnus *Alexander* dum Legatis *Darii* diviſionem A-

ſiæ

ſiæ offerentibus reſpondit -- *Nec Mundus duobus ſolibus poteſt regi, nec duo ſumma Regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere* -- (*Q. Curtius lib.* 5.). Eademque fuit in ſententia *Solymannus* Turcarum Imperator, qui cum *Muſtapha* filiis Cadaver in conſpectu exercituum, a quibus nimio applauſu exceptus fuerat, projeciſſet, per præconem acclamari juſſit *Unus in Cœlo Deus, unus in terris Sultanus* -- (*Bodin. de Rep. lib. 6. cap.* 4). Sed hæc potius emphatice, quam vere dicta ſunt; Nam *Alexandri* temporibus mundus a pluribus aliis moderabatur Regibus: ac poſt ejus obitum ſuamet ipſius Monarchia in totidem diviſa fuit Reges, quot ejus fuerant Duces exercitus: *Solymanus* autem quid aliud erat, niſi merus Turcarum Tyrannus?

III. Quamobrem ſi veritati ſerviendum eſt, nemo inficiabitur nihil eſſe in Monarchia, quod diviſioni reſiſtat; Unde cum ne leges quidem primigeniales in univerſalis propemodum Regnis conſtitutæ infringantur, quoties plura ejusdem Monarchiæ Regna inter geminos dividuntur; Conſequens inde fit, ut omnino ſua unicuique Gemello portio Regnorum ſit attribuenda, ut a majori præpoſiti argumenti propoſitione exordiamur, ſi natura ſpectetur, Monarchiarum, ea plane momenta, quæ Regnorum diviſionem prohibent in illis

illis non valent omnino. Regna quippe ideo dividi non patiuntur, quia facta diviſione Regni nomen & Majeſtatem cum hujus detrimento, ac injuria Populorum perdunt, veluti jam ſuperius obſervavimus. Contra vero in Monarchia, facta etiam Regnorum, e quibus illa componitur diviſione, jus, nomenque Regium non amittitur; ſed dumtaxat perditur illa major dominationis extenſio, cujus amiſſio Regi mere accidentalis eſt, & extrinſeca; Populoque potius forſan prodeſt; quam afferat detrimentum; & propterea nullimode eſt conſideranda. Non enim magis Rex fuit Alexander poſtquam Aſiam domuit, ac Egyptum conquiſivit, quam fuiſſet antea cum intra Macedoniæ limites ſuum Regnum concludebatur; Nec majori Regnum Macedonicum floruit potentia, facta illorum acceſſione, quam fuiſſet antea; Quinimmo potius a ſuo antiquo cecidit robore; & magis etiam cecidiſſet, ſi Alexander in ipſo ætatis, ac victoriarum flore non occubuiſſet; Tunc enim in Provinciam redactum eo deveniſſet, ut ſibi ne par amplius quidem eſſet.

IV. Porro autem ſi vetera mente repetere velimus agnoſcemus etiam Monarchias ſæpe ſæpius fuiſſe diviſas. *Cyrus* Perſarum Rex *Cambiſem* Regem inſtituit, *Franaexari* vero Provincias Armeniorum Bactrianorum, aliaſque

que etiam tradidit (*Xenoph. Cyrop. lib.* 8. *Herodot. lib.* 3.). *Darius Nothus Arthaſerſi Mnemoni* Regnum reliquit, *Cyro* autem Juniori Civitates, quarum Præfectus erat, teſtamento legavit (*Juſtin. lib.* 5. *cap.* 11.). Duces, qui comitati fuerant *Alexandrum Magnum* in Aſiatica expeditione, poſt immaturum illius obitum inter ſe non minus antiquum ejus Regnum, quam Provincias noviter armis ſubactas, diviſerunt (*Juſtin. lib.* 13. *cap.* 4.). *Ptolomeus Phiſcon* Regnum Egypti uxori, & alteri, ex filiis, quem illa elegiſſet reliquit, Cyrenarum autem Regnum teſtamento dedit *Ptolomeo Appioni* (*Idem lib.* 39. *cap.* 3. & 5.) Imperium autem Romanum poſtquam a *Diocletiano* in geminos Auguſtos, geminoſque Cæſares fuerat diviſum, totum denique coaluit in *Conſtantino*, qui iterum moriens illud in tres diviſit liberos *Conſtantium*, *Conſtantem*, & *Conſtantinum* (*Euſeb. in vita Conſtantin. lib.* 4. *cap.* 51.) Et licet breve *Juliani Apoſtatæ* imperium diviſionem ullam paſſum non fuerit adhuc *Valentinianus*, ejuſque liberi trinam Orbis diviſionem inſtaurarunt; donec *Theodoſius*, qui ſolus extinctus Tyrannis rerum potius fuit, denuo inter *Arcadium*, & *Honorium* Orientis, & Occidentis Regna diſtribuit (*Victor. in Theodoſ. Zozim. lib.* 5.). Quid poſteri *Caroli Magni*? Nonne notiſſimum

mum apud omnes eſt cor Italiam, Gallias, & Germaniam in plurima viciſſim Regni fuiſſe partitis? Quid Francorum Monarchia? Nonne æqua ſorte diſcerpta non fuit inter liberos, & ſucceſſores *Magni Clodovei?* Prætereo Hiſpanias, aliaſque omnes, tum barbaras, tum cultas nationes; Illud quippe certum eſt, quod in Occidentalibus Monachiis exortis poſt inundationem Barbarorum in Romanum Imperium, adeo uſuvenire conſuevit diviſio inter Regum liberos, ut Grecus Hiſtoricus *Gregoras* hæc de patrata ab Imperatrice *Irene* diviſione Orientalis Imperii ſcribere non dubitaverit (*lib.* 7.) -- *Quod maxime mirandum erat voluit, ut non unus imperaret ſecundum morem Imperii Conſtantinopolitani veterem, ſed ad inſtar Principum in Occidente Civitates, & Regiones dividerentur in ſingulos filiorum, ut ſic Regnum, tanquam proprium cujuſque patrimonium, a Patribus ad ipſos perveniret, ita ut in plebejorum Hominum bonis fieri ſolet; ac ſic perpetuo ad cujuſque liberos, heredeſque deſcenderet. Ipſa enim cum ex Occidentis partibus ortum haberet, mortem, quem ab ipſis acceperat, huc ſine exemplo introducere animo agitabat* --.

V. Quod ſi Monarchiæ ob intrinſecam ſui naturam dividi permittuntur, prout reapſe ſæpe ſæpius diviſæ inter fratres extitere; Certe

te nec illarum diviſionem inter Germinos uno utero effuſos prohibent Leges Primogeniturae, quemadmodum in ſecunda ejusdem ſuperius allati argumenti propoſitione diſſeruimus. Primogeniturae quippe Lex jubet, ut Primo natus omnibus aliis proferatur Fratribus, qui poſtea nati ſunt. Quis porro inter duos indiſcretos Gemellos primo natus eſt? Unus certe prior naſci debuit; ſed quis hunc diſcernet? Nemo equidem. Nam ſupponimus ordinem eorum nativitatis penitus latere. Ergo uterque in dubio eſt Primogenitus. Quocirca Regna, quae utrique in diviſione obveniunt, utrinque Primogenito deferuntur.

VI. Igitur ſi Monarchiae dividi poſſunt; ſi Legibus Primigenialibus nulla infertur vis ob admiſſionem utrorumque Gemellorum, ſequitur inter hoſce Regna eſſe dividenda. At quis dividet? Utique Pater in primis Regna partietur. Arcadem olim inter filios imperium diviſiſſe narrat *Pauſanias* (*in Arcadicis*). Conſtantinus Teſtamento Regna filiis attribuit *Victor in Conſtantin.*). Ludovicus Pius dumo Regna Liberis divideret optionem Lothario tradidit diviſionis, quam vocant, Canonicae; ſed filius ipſe maluit paternum ſequi, quam ſuummet arbitrium (*Murator. in Annal.*).

VII. Di-

VII. Diſtinguenda tamen eſt, ut ſuperius differuimus Monarchia de novo acquiſita a veteri Monarchia. Si primum dubium non eſt, quod quemadmodum Pater poteſt in Regno etiam unico noviter acquiſito quem maluerit ex filiis eligere, tametſi non fuerit Primogenitus, ut in antecedenti Capite probavimus §. 4. Ita de Monarchia valet ad ſui libitum inter gemellos diſponere; Adeo ut potius, quam alteri totam Monarchiam, itidemque uni majorem, quam alteri Regnorum partem tribuere queat. Sed alia eſt ratio Monarchiæ veteris; nam cum ex tacita Populorum, ac primi acquirentis voluntate, ac ex ſanctione Regiarum Legum, quæ in omnibus ferme nunc vigent Regnis, quinimmo ex ipſo Jure gentium, quod Commune omnium Gentium inſtitutum vocatur ab *Herodoto* (*lib.* 7. *cap.* 133.), unus dumtaxat ex filiis Regis, idemque primogenitus debeat, ni aliud ſpecialis Regni Lex, aut Regionis mos ferat, in Regno ſuccedere; Inde Patri liberum non eſt unum magis, quam alium præeligere; Nam in utroque ex gemellis indiſcretis viget æquale jus; cur ergo ubi Regni conditio non reſiſtit uterque æquale non feret compendium? Naturæ profecto Lex non permittit, ut æquales inæqualia, & inæquales æqualia habeant, accipiantque. Qua de re

in

in veteri plurium Regnorum Monarchia debet Pater, Regna inter liberos ex æquo dividere.

VIII. Si vero Pater regna dividere vivens prætermittat, tunc unus ex Gemellis dividet, & alius eliget. Hoc namque pacto nemo habere poterit, quod conqueratur; Electionis enim ſuæ partem alter non poterit calumniari, quia non reſidet occaſio reſiliendi, cui datur optio eligendi: Nec diviſor gravatur; nam quo eſt prudentior eo debet eſſe cautior, ne in electione fraudetur (*D. Ambroſ. de Abraham. lib. I. cap.* 3.). Solent tamen in hac ſpecie diviſionis, quæ dicitur Canonica, Juriſconſulti ſtatuere, quod major dividere, & minor debeat eligere; exemplo quidem Abrahami, a quo in omnes gentes hujuſmodi methodus dividendi dimanavit (*D. Auguſtin. de Civit. Dei lib.* 16. *cap.* 20.); Cujus ſequens exemplum Concilium in Africa collectum poſtquam ſtatuerat quod Epiſcopi ex Donatiſtis ad Catholicam unitatem converſi æqualiter cum Catholicis inter ſe dividerent Diæceſes, ſanxit etiam ut ille divideret, qui diutius in Epiſcopatu manſerat, & minor eligeret (*Cap. I. de Parrochis*). Sed cum inter indiſcretos gemellos nullus major, nullus minor ſit, inde ſors dijudicabit quem eligere, quemve dividere fas ſit; Etenim in re adeo

par-

parvi momenti, permitti valet ſortis alea arbitriumque.

IX. Quoties autem nec Pater dividat, nec Fratres in diviſione conveniant, Populus, & pro eo Monarchiæ Proceres divident Regna, factaque æquali Regnorum diviſione optio dabitur ſorti. Nam principale rei momentum ſtat in diviſione bonorum; Electio vero, cum maximas forſitan excitare turbas valeret inter Populos diverſorum Regnorum unum, idemque ex Gemellis exoptantes ſibi in Regem præfici, tum veluti res parvi præjudicii rectiſſime ſorti eſt committenda (*L.* 2. *C. quilibet*, *quand. lib.* 10.). Sic antiqui fabularunt, quod tres *Saturni* filii poſitis in medio Regnis Cœli, Maris, & Inferorum indiviſis ſortiti ſunt cui eorum ſingula obtingerent, ut inquit Virgilius (*in Etna*) hiſce carminibus.

Scilicet haud olim diviſo corpore Mundi.
In Maria, ac Terras, & Sydera: ſors data Cælo
Prima, ſequuta Maris, deſeditque infirma tellus

Sic Tyrrhenus, & Lydus Atyos Tyrann Lydorum filii diviſis bifariam ſuis Popularibus ea Lege ut alter eorum domi, alter vero ad quæ-

quærendas novas ſedes egrederetur, hujus rei arbitrium ſorti commiſerunt (*Vellius Patercul. lib.* 1. *Nicol. Leonic. Var. Hiſtor. lib.* 3. *cap.* 52.). Sic demum Provincias Orbis Terrarum jam diviſas, ſeparataſque Conſules, Proconſules, Prætores, Quæſtoreſque in Urbe ſortiebantur: (*Liv. lib.* 4. *&* 7. *Cic. Epiſt. fam.* 2. *&* *in* 2. *&* 3. *Act. in Verrem*.

X. Demum ſi nec populus rem dirimere queat, eam inter Catholicos Summus definiet Pontifex, qui, & dividet ex æquo Regna, Provinciaſque, & facta diviſione Reges hinc, & hinc eliget, haud ſecus ac Pater; cui & dividendi, & eligendi ſumma poteſtas eſt.

XI. Diximus diviſionem fieri debere ex æquo. Quid autem ſi Regna ſint imparia numero, aut inæqualia robore? Quomodo id fieri poterit, ut æqualis diviſio obtineatur? ſi regna ſunt numero imparia, ſed inæqualia robore, major illorum numerus a majori iſtorum potentia compenſabitur. Si vero ſint imparia numero, & æqualia robore; unius Regni Provinciæ inter utrumque dividentur, dato utrique Gemellorum Regio ejuſdem Regni titulo. Non enim abſonum videri poteſt, quod Provinciæ hinc, & illinc poſſeſſæ dent utrique Regium ejuſdem Regni titulum, quando videmus hunc a Regibus uſurpari relative ad ea etiam Regna, in quibus nullam

poſſeſſionem habet. Regnum autem Navarræ diviſum inter Gallos, & Hiſpanos utrique Regi ſui præbet tituli majeſtatem. Si demum ſint paria numero, ſed inæqualia robore, ut puta, ſi duo ſint Regna inter ſe inæqualia, tunc inæqualitas ita compenſabitur, ut in Regno majoris Potentiæ aliquæ aſſignentur illi, cui minus Regnum dabitur, terræ, tanquam in Feudum, adeo ut iſtarum uſus fructus ſiſtens penes illum, Jurisdictio penes hunc æquale illi pariat cum hoc emolumentum, huic autem nullatenus ſuæ Regiæ Poteſtatis imminuat jurisdictionem, atque potentiam: Cæterum ſi diviſio fiat a Patre non erit ſic exacta æqualis diviſio ad libram appendenda. Nam alia ratio eſt Patris, alia Judicis, & ipſorum geminorum; hic, & iſte debent ad libellam ſuum unicuique tribuere; ille veluti filiorum Dominus poteſt arbitrari. Prior ſiquidem, & anterior eſt Lex naturæ, quæ omnimodam Patri in filios tribuit poteſtatem, quam Lex gentium, quod regna per ſucceſſionem ex inſtituto primi acquirentis deferantur.

XII. Diximus itidem de Monarchia noviter acquiſita Patrem poſſe pro ſui libito diſponere, non ſic autem de veteri Monarchia. Quid ſi de Monarchia partim a Regnis noviter acquiſitis, partim a Regnis veteribus com-

componatur? Hujus plane quæſtionis facilis exitus eſt ex iis, quæ ſuperius enucleavimus; nam in Regnis noviter quæſitis diſpoſitio paterna totum faciet, regna autem vetera ex æquo inter filios dividentur. At ſi Regnum vetus ſit unicum, ita ut nequeat ratione unicitatis dividi, ſervabuntur in hoc quæ de Regno unico *anteriori* diximus *Capite*; etenim ex illis principiis fluit, quod *Alexander Magnus* ſi geminos habuiſſet unum præ alio in omnibus ſuis Regnis præeligere valuiſſet. Regnum quippe Macedonicum, quod vetus erat uni tribuere quiviſſet; cui etiam nihil erat, cur omnia alia regna noviter quæſita non donaret. Melius tamen in hoc anfractu faceret Pater ſi ſucceſſionem ex novis acquiſitionibus inter utroſque æquilibraret.

XIII. Hic tamen repetere juvat, quod quamvis facta diviſione Regnorum nullum remanere debet inter geminos regnandi conſortium, communioque, ad avertendas ſcilicet turbas illas, quæ ab incommunicabili Majeſtate, & Imperio originem ducunt; nihilominus recte, pieque facient Gemini ſi inter ſe, ſuoſque ſucceſſores perpetuum ſanciant fedus. Certe autem reciproca inter hos, atque illos vigere debebit ſubſtitutio, ob quam vel uno ex geminis, vel tota unius familia deficientibus regna diviſa ad alterum, hujuſque

ſucceſſoris recidant, deveniantque; veluti factum fuit inter ſucceſſores *Conſtantini*, & *Theodoſii*; obeuntibus quippe ſine liberis *Conſtantino Juniore*, & *Conſtante* univerſum Romanum Imperium *Conſtantio* rediit (*Caſſiodor. in Cron.*); pariterque poſt obitum *Honorii* prole deſtituti *Theodoſius Junior Arcadii filius* utriuſque tum Orientalis, tum Occidentalis Imperii culmen tenuit faſtigiumque (*Caſſiodor. ibidem*). *Carolus* autem *Magnus* primus Gallorum Imperator, tunc cum inter ſuos tres filios *Carolum*, *Pipinum*, & *Ludovicum* Italiam, Gallias, Germaniamque diviſit, hunc expreſſe indidit inter eos, eorumque ſucceſſores ordinem ſubſtitutionis (*Baluz. Capitular. To. I. pag. 439.*).

XIV. Quæ huc uſque diximus de Geminis, valent etiam in trigeminis, aliiſque numeroſioribus partubus. Quemadmodum enim ſi agatur de ſimplici primogenitura omnes ſuam nanciſcentur bonorum partem; ita in pluribus Regnis unuſquiſque ſuam obtinebit portionem Majeſtatis, & Imperii, dummodo ea non fuerint noviter acquiſita a Patre, qui hoc caſu, ut prædiximus, poteſt pro ſui libito illa, cui maluerit diſtribuere. Sed ſi Regnum unicum ſit, alii excludentur, & unus illud accipiet. Si demum duo ſint dumtaxat regna, duo Reges erunt, aliique in privato-

rum

rum forte manentes ab utroque Rege appanagium conſequentur.

XV. Nec ſolum valent Geminis, aliiſque numeroſioribus partubus; ſed etiam aptari poſſunt, ac debent iis Regnis, in quibus plures licet Regi habere uxores, ſeu concubinas; ut fuerunt, & ſunt regna Turcarum, Indorum, Thracum, Parthorum, Naſamonum, Perſarum, aliorumque: Si enim Rex quiſpiam plures eodem momento ex diverſis uxoribus, aut concubinis liberos ſuſcipiat, taliter ut inter utroſque diſcerni non valeat, eodem plane jure, quo inter Gemellos, inter hos quoque erit judicandum: Id quod obiter dictum ſit, veluti a noſtro propoſito, noſtriſque moribus penitus extraneum.

CAPUT XIV.

De ſucceſſione Gemellorum in Feudis.

I. QUid ſit Feudum ſatis tradunt *Doctores*, qui de Feudis ſcripſerunt; illudque deſcribitur eſſe *Benevolam, & liberam rei immobilis, vel æquipolentis conceſſionem cum translatione utilis dominii retenta proprietate, ſub fidelitate, & exhibitione ſervitiorum honeſtorum* (*Joann. Rainald. penes Rebuff. de Feud. in princ.*); Quæ autem fuerit

origo noſtrum nunc non eſt inquirere, neque hic neceſſe eſt; etenim ſive Feuda initium duxerint ab antiquis *Romanorum Clientelis*; ſive a *Legibus Agrariis*; ſive a *Gallicis militibus ſolduriis*; ſive ab *Agris ſtipendiariis*, & *Terris Leticis*; ſive melius ſuum repetant exordium ab ea Terrarum diviſione, inter *Limitaneos Duces*, & milites, quam primus poſt victos *Perſas* excogitavit ſolertiſſimus *Imperator Alexander Severus*; & poſtmodum etiam imitatus eſt alius non minus nomine, quam re *Probus Imperator* poſt *Iſauros* debellatos; ſive iſta fuerint illa eademmet, quæ veteres vocarunt *beneficia*; ſive demum a *Germanis*, aut *Longobardis* fuerint in Italiam invecta; plane id nihil noſtræ refert præſenti diſputationi; quocirca relinquentes ut hanc ornent ſpartam otioſi illi Homines, qui nihil excoctum putantes, niſi e tenebris antiquitatis caput exerat, inania ſub ſpecioſis verbis conſectantur, nobis nunc ſatis eſt animadvertere alia eſſe Feuda *Dignitatum*, alia *ſimplicia*.

II. Quamvis autem Feuda omnia regulariter dividua ſint: (*Text. in cap. I. de ſucceſſ. Feud.*). Nihilominus illa dignitatum eſſe individua ſancit *Text. in cap. I. §. præterea Ducatus de prohib. Feud. alien. per Frider. in uſibus Feudor.* Verum enim vero alia digni-

tati

tati adnexum habent jus ſummi Imperii, veluti ſunt Regna Siciliæ, & nonnulli Ducatus Marchiæ, & comitatus Italiæ atque Alemmaniæ, qui merum, & mixtum habent Imperium, etiamſi ſint ligii, vel Romanæ Eccleſiæ, vel Romani Imperii: Alia autem non. Illa porro non venire in hanc, quam nunc agimus, diſputationem ea docent, quæ fuſe *Superiori* diximus *Capite*; Nulla enim quoad ſucceſſionis ordinem excogitari valet differentia inter Regnum omnino liberum, ac Regnum, quo ſupremum agnoſcit alterius Principis altum dominium; ſiquidem cum tam illud, quam iſtud ſummi potiatur jura imperantis, idcirco tam illud, quam iſtud inſociabile penitus eſt. Quamobrem, quæ de Regnis liberis *eodem* diſputavimus *Capite antecedenti*; tenenda ſunt in Feudo Regalem adnexam habente dignitatem.

III. At non ita tamen, ut omnia, quæ electione alterutrius ex Gemellis in Regno libero aſſeruimus, admittenda quoque ſint in ſucceſſione Feudorum Regalium, atque fruentium jure ſupremi Imperii. Nam in alterutro ex Gemellis deligendo ad Feudi Regii ſucceſſionem nihil poteſt *Populus*, quia non populus, ſed alius videlicet ſupremus dominans, a quo Feudum proceſſit, Regalem tribuit Vaſſallo poteſtatem. Nihil itidem *Pater*,

quia taliter nulla in Feudis manet, aut valet ordinatio defuncti (*Cap. I. de ſucceſſ. Feud.*); ut nec pro ſua anima quidquam de Feudo legare Vaſſallus queat (*§. donare, Qualiter olim poter. Feud. alien. Cap. I. in princ. de Prohib. alien. per Frideric.*); niſi forſan, aut res eſſet de Feudo, quod cum improprie tale dicatur, tum Feudum Francum vocatur, de quo Vaſſallus ad inſtar Allodiorum liberam habet diſponendi facultatem (*Schench. in Conſuetud. Feudor. Tit. 8. §. I. num. 9.*) Aut Pater ille eſſet, a quo facta fuit prima Feudi acquiſitio; tunc enim nihil proponi poſſet cur ei tribui non deberet electionis optio; nam Pater in Feudo novo etiam pacti, & providentiæ nedum poteſt quem voluerit ex filiis præeligere, ſed in extraneos quoque iſtud alienare, præcipue ſi acquiſitio facta foret titulo oneroſo, aut inveſtitura conceſſa fuiſſet ipſius contemplatione Patris (*Boſcol. penes de Luc. de Feud. art. 2.*); Nihil demum quit *Summus Pontifex*; etenim non eſt cur ad alium deferatur arbitrium, quando adeſt Dominus. qui ſolus debet eſſe ſui Feudi Judex, atque arbitrator (*Cap. I. Apud quem vel quos Coutrov. Feud. Definiat. Cap. I. §. 1. de Lege Conradi, & cap. 1. § præterea ſi inter duos de Probibit. Alienat. per Frideric.*(. Quocirca ubi nullis diſcerni valeat probationibus

quis

quis Gemellorum fuerit primus in lucem efſuſum tunc ſi non agatur de Feudo novo, in quo relinquendum eſt Patri Jus praelelectionis, certe *Dominus directus*, cui voluerit ex illis gratificabitur.

IV. Nam quamvis conſuetudo inoleverit, ut Feuda dignitatum etiam Regalium per ſucceſſionem deferantur (*Cap. I.* §. *item in Feudo Tit. de alienat. Feudi & d.* §. *praeterea Ducatus*); nihilominus uſus hic originariam naturam Feudorum minime immutavit; primis ſiquidem temporibus iſta non ſucceſſione, ſed electione obveniſſe tradunt Hiſtoriae, quibus compertum eſt in Regno Longobardorum Ducatus Spoletinos, Beneventi, atque Hiſtriae, alioſque tum Duces, tum Marchiones, tum Comites per Italiam diſpoſitos pro Regis arbitrio nullatenus curato ſuccedenti ordine fuiſſe electos (*Cap. I.* §. *& quia de his, qui Feud. dare poſſunt*). Eademque revera de ſui eſſentia electionem, ac inveſtituram ſupremi Imperantis exquirunt (*Cap. I. de Feud. March. Molineus in conſuetud. Pariſ Tit. I.* §. 8. *Gl.* 3. *num.* 7.); Ideoque in caſu hoc, in quo illi, qui ad ſucceſſionem caeteroquin adſpirari poſſent, nequeunt utrique admitti ob incommunicabilitatem rei; ita attemperanda eſt conſuetudo ſuccedendi cum placitis Feudalibus; ut media via ſeligatur, videlicet quod partim

ſer-

ſervetur conſuetudo favore unius ex Gemellis ad quos pertinet ſucceſſio; partim a natura, & conditione Feudi non recedatur favore Domini directi; qui proprio quodammodo Jure alterum eliget quem maluerit (*Schenecbius de Feud. lib. I. Tit. 14. num. 16.*).

V. Ex his autem fluit, quod ſi duo ſint Feuda regalia; in quibus Gemelli ſuccedere debent; quorum alter unius, alter alterius Principis directum dominium agnoſcat, quemadmodum evenire potuiſſet Ducibus Ferrariæ, tunc cum ante *Clementis VIII.* tempora Ferrariam a Pontifice; & Mutinam ab Imperatore obtinebant; uterque Princeps tunc in ſuo Feudo, quem *volet*, eliget, quamvis unus unum, alter alterum, aut utrique eumdem eligerent; quia ſicut uterque ſupremus dominans propriam in ſuo Feudo poteſtatem exercet, ita neuter Legibus, ac Judicio alterius ligatur. At non ſic tamen accidet, quoties bina Feuda ejusdem eſſent Dominantis; Nam tunc ſicuti in gemino Feudo verificari poteſt coæqualis amborum geminorum ſucceſſio, adeo ut unus in uno, alter in altero ſuccedat, hinc liberum non erit Domino directo unum eligere, atque alterum æquali fruentem Jure penitus excludere; ſed quidem unice illi dabitur partitionis arbitrium, ut nimirum huic, quod voluerit Feudum tradat,

atque

atque alterum alteri ; quin vel ad Canonicam inter ipſos Gemellos diviſionis methodum , vel ad ſortes deveniri debeat , veluti de Regnis liberis diximus *in cap. ſuperiori*.

VI. Opponet tamen aliquis, cur Dominus directus nequibit Feudum Regium , quando plura ſub ſe continet oppida, terraſque inter Geminos dividere , exemplo præſertim Ducatus Spoletini , quem ſæpe ſæpius Geminos ſenſiſſe Duces videntibus , atque jubentibus etiam Regibus Longobardis ſupremis Italiæ Dominis non ignoramus (*Chron. Farſen. Rer. Italicar. To. I. pag.* 1.). Verumtamen objectio hæc ſuomet ipſo corruit exemplo. Nam Duces Spoletini, & Beneventani, atque Hyſtriæ ſub Regibus Longobardis potiebantur quidem certa quadam imagine regia , ſed imago duntaxat erat , quæ , licet aliquantulum , non multum tamen diſcedebat ab hodiernis Feudis non habentibus Jus ſummi Imperii ; id quod optime noſcens *Arichis* Dux Beneventi , tunc cum a *Carolo Magno* deſtructum fuit Regnum Longobardicum , ut veram adipiſceretur in illo Ducatu Regiam poteſtatem , ac jugum excuteret Francorum , cui alii Duces Italiæ colla ſubmiſerant , ſeſe in Principem erexit , ac mutato Ducis nomine Principem voluit nuncupari (*Erchempertus Tom.* 2. *p. I. Rer. Italicar.*). Qua de re argumentum iſtud

pro-

probaret forſitan dividi poſſe inter Gemellos Oppida, & Terras illorum Feudorum, quæ regalia non ſunt, ſed tamen individua putantur, nunquam autem in partes ſcindi valere Feuda regia, quæ eadem Lege, & ratione indiviſibilia eſſe debent, quia ſunt Regna libera; quia in iſtis æque ac illis eadem quoad individuitatem militat ratio, ideoque eadem militare debet Juris diſciplina.

VII. Etenim ea reſponſio, quod ſupremus, ac directus Regni Dominus poterit, quatenus Regnum, aut regale aliud Feudum inter Gemellos dividatur, diſcordias inter ipſos exortas ſuperiori vi compeſcere, nihil omnino valet; Quia licet diviſio Regalium dignitatum, ſicut & Regnorum liberorum prohibeatur, ne ex diviſione oriantur diffidia, & bella, atque ex bellis cædes, & ruinæ populorum; nihilominus principalior ratio petitur ab ipſa Regni natura, & qualitate; ejus quippe decus, & Majeſtas per diviſionem, vel imminuitur, vel plane redigitur ad nihilum. Quia quod ſi oriantur inter Gemellos bella, poterit forſan ſupremus Dominans ſua uti ſuperiori vi; ſed cum non deſint Reges Vaſſalli æque potentes, ac Rex dominans, quid tunc poterit hujus vis ſuperior? Præterea autem ſi ſupremus dominans in arenam deſcendat aliud non conſequetur, niſi

niſi duplex, vel triplex in Feudo bellum inferre. Nam ſtatim ac Gemini veſana perciti ambitione arma capiunt Tartara Cælo miſcere non timent, ut regnent, ac ſoli regnent. Igitur aut Dominus ſe uni, aut nulli adjunget. Si uni, duplex bellum fit; ſi nulli Bellum triplex evadit.

VIII. Quæ diximus de Regnis Feudalibus non tantum obtinent in Regnis, ac Regiis dignitatibus, jam in ſui origine talibus; quantum etiam in Regnis, ac Regiis dignitatibus primitus liberis, pro quibus poſtmodum alicui ſupremo dominanti præſtitum fuit *Dominium*. Etenim quamvis illorum vere forſitan eſſet opinio, qui tuentur in hiſce Feudis regiis ſuccedi ea Lege, qua in Allodiis ſuccedebatur tempore Regni inſtituti (*Grotius de Jure Belli, & Pacis lib.* 2. *cap.* 7. §. 20.), de qua nolumus diſputare; adhuc tamen dum ſupremus dominans alterutrum ex Gemellis eligit, nihil variat de ſucceſſione; æque enim in Feudis, ac in Regnis liberis jus viget primogeniale; unde conferendo Regnum uni ex Geminis æque primogenitis Regni leges ſarctas ſervat, tectaſque: ſuo autem e converſo Jure utitur ſalva Feudi etiam primitus liberi prærogativa; Nam quoties Rex, aut Princeps in initio liber *hominium* præſtitit, evadit

vere

vere vaſſallus, proindeque judicio ſupremi dominantis ſe, ſuumque Principatum in iis, quæ ad feudum pertinet, omnino ſubmittit ſecundum Leges illas, quæ feudis omnibus ſunt fundamentales.

IX. Orationis nunc ordo poſtulat, ut ad alia deſcendamus Feuda dignitatum, quæ adnexum non habent Jus ſummi Imperii. Jam vero hæc utcumque juxta feudalia placita individua ſint, dividi nihilominus in propoſito caſu inter Gemellos debere facillime intellitur. Id tamen fiet ſi alter ex Gemellis alium in poſſeſſione non prævenerit; tunc enim prior in tempore, potior erit in Jure illa privative poſſidendi, non ſecus ac diximus, ubi egimus de primogenituris, quæ non minus individuæ ſunt, quam ipſa Feuda dignitatum, aut Juris Francorum (*Molin. de Primogenit. lib. I. cap. II. num. 7.*). Sed ſi neuter prior poſſideat, nihil eſt cur omnes admitti non debeant (*Mart. Lud. de Princ. verſ. 462. Licet Regnum*): Non enim in Feudis hiſce conſiderari quit illud inconveniens, quod in Regnorum diviſione animadvertimus *in ſuperiori capite*. Nam feudum tale eſſe non deſinit per diviſionem, quemadmodum Regnum ſi dividatur Regium perdit honorem. Populo autem, qui ſuum decus ab ipſo Regno, in cujus

ſus corpore eſt, repetit, quid præſtat quod illud dividatur? Utilitas vero Principis ſupremi, cui magis intereſt unum potius divitem habere Vaſſallum, quam plures pauperes; & demum familiarum ſplendor, quarum æquidem memoria ex bonorum diviſione lubefactatur, ac dignitas corrumpitur: Nihil relevant. Nam hæc inania ſunt, ubi de ſola plurium fratrum ſucceſſione agatur. Innumera quippe exſcribi, ſi otium eſſet, valerent exempla talium diviſionum inter fratres. Mortuo *Alberto Azzone II.* uno ex Primogenitoribus Ducum Eſtenſium tres ejus filii *Welfus IV. Dux Bavariæ*, *Fulcus*, atque *Hugo* inter ſe bona Feudalia partiti ſunt, ita ut quilibet frater pro tertia parte in caſtris, & oppidis dominaretur, quamvis tunc feuda quid majus, quam nunc eſſent (*Murator. Annal. ad ann.* 1097.). Si ergo id fratres potuerunt (*Boſcol. penes de Luc. de Feud. art. I. n.* 10. *& ſeq.*), quomodo Gemellis denegabitur? Adde quod ea nunc eſt Feudorum omnium non regalium conditio, & ſtatus, ut ferme ubique omnia de conſuetudine dividantur (*Boſcol. ubi ſupra n.* 7. *& ſeqq.*). Unde aut in loco ubi ſunt Feudatalis adeſt conſuetudo, & ceſſat omnis prorſus diſputatio; aut non: & hoc caſu, quo minus infringitur Feudo-

rum

rum qualitas a communi uſu jam ubique immutata : Eo magis inter Gemellos, æquale habentes Jus, ſunt dividenda.

X. Hinc propterea non ſolum inter Gemellos dividua cenſenda ſunt Feuda continentia ſub ſe plura oppida, terraſque, quæ propterea commodius, & facilius dividi poſſunt, tam ſi ad jurisdictionem, & uſumfructum ſpectes, quam ſi titulum conſideres, data utrique ſua terrarum parte una cum titulo, & jurisdictione; ſed etiam Feuda dignitatum in unico dumtaxat caſtro, aut oppido conſtituta; Nam tale Feudum aut ideo individuum eſt, quia dignitas eſt individua, aut ideo quia Jurisdictio eſt omnino incommunicabilis (de legibus quippe primogenituræ, quæ in eo inditæ ſunt ab acquirente, aut aliquo ejus ſucceſſore non loquimur. Non enim hujuſmodi defuncti ordinatio magis arctat in Feudo, quam in omnibus aliis bonis indifferentibus). Enim vero dignitas parvi nunc omnino momenti res eſt. Verum quippe in tribuendis dignitatum titulis multum diſpiciebant, multiſque etiam utebantur ſcrupuloſis cæremoniis. Et merito: nam tunc Ducatus, Marchiæ, & comitatus rei; non nominis dignitatem continebant, ita, ut in Italia, ille Italiæ Rex diceretur, qui ab Epiſcoporum una,

& Du-

& Ducum, comitum, ac Marchionum ſuffragiis, vel eligeretur, vel confirmaretur. Nunc vero quorſum pertinet titulus, dignitaſve? Equidem tituli nunc plebemque puri, ac meri ſunt nominis dignitates. Quo multis in locis, qui nunc Duces, ac Principes vocantur, vix antiquitus Gaſtaldi dicti forſitan fuiſſent. Oppida nonnulla vides, quæ pauca numerant Villicorum diruta tuguria, & tamen Ducatus titulum, Marchionis prærogativam, comitatus ſplendorem ſuo præſtant Domino. In iſtis igitur noſtri temporis umbratilibus dignitatibus, quid confert *Textus in d. cap.* 1. §. *Preterea Ducatus*, qui ob mutatam rerum faciem nunc quoad Feuda ſaltem dignitatum non regalia antiquatus eſt, vel certe de conſuetudine nullatenus ſervari amplius promeretur, vel denique caſui non aptatur? Nos enim non dicimus, quod ambo *ſemiduces*, *ſemicomites* vocentur, ita ut exinde ſecta maneat dignitas; ſed e contra volumus ambos *Duces*, & *Comites* vocari, quod abſonum omnino non eſt, quia dignitas cenſetur eſſe tota in totum, & tota in qualibet parte; Unde ambobus poſſidentibus Feudum ambo indiviſam obtinent Dignitatem.

XI. Si autem ad Jurisdictionem mentis convertas oculos; utique Jurisdictio eſt incommunicabilis, ſed tamen ea dumtaxat,

quæ Regia eſt; In genere autem non ſic; quia in Regibus publicis plurimi eamdem moderantur Jurisdictionem, quæ licet utpote res incorporalis dividi non queat, ejus tamen dividitur uſus, & exercitium, quod maxime eſt inter plures communicabile. Quocirca non eſt cur, vel pro indiviſo inſimul, vel viciſſim alternis annis, vel alia, quæ magis arrideat, methodo ejusdem Feudi Jurisdictio, utriſque Gemellis non committatur. Nam quæ in Regnis manere poſſet ſuſpicio bellorum, tum ſi alternis vicibus, tum ſi etiam ſimul gemini fratres regnarent; hæc profecto exilat a Feudis ſubdititiis agnoſcentibus vim ſuperiorem, quæ Feudiſtam in ordinem redigere, ac coercere valet. A quibus quoque exulat ſcandalum illud quod pro tempore, quo unus adminiſtraret adeo populi ſanguinem exhauriret, ut vix præcarium relinqueret ſpiritum; quia Vaſſalli Dominorum violentiam a ſe ipſis mediante recurſu ad ſupremum Principem arcere commode valent. Rurſus autem Feudiſtarum rapacitas frænari etiam debebit datis utrinque cautionibus de bene utendo, ac de ſe invicem in exercitio non impediendo.

XII. Quæ res hic ſi utrique Gemini eadem potiri debebunt dignitate, tituloque in uno, eodemque Feudo, quis horum præcedet in ſeſſione, nominatione, ſubſcriptione, & id

id genus cæteris? Parva quidem hæc eſt res; Quæ potius quam a conſulto de Jure reſpondente definiri mereretur a Luden Pythia, juxta ea quæ narrat Auſonius hiſce carminibus (*Lib. 7. Sapient.*)

Recte olim ineptum Delphicus luſit Deus
Quærentem quiſnam primus ſapientum foret
Ut in orbe teret nomen incertum incideret
Ne primus eſſet, nec vel imus quiſpiam.

ſed quia de parvis his, exiguiſque tricis, ne dicam ineptiis mirum quantæ, qualeſve turbæ ſoleant in foro excitari inter viros præcipue, quorum vitæ ratio, & inſtitutum a ſimilibus eos abſtinere omnino deberet; idcirco non ineptum eſt aliqua de hac profari. Imperatores quidam Romani tunc, cum univerſum regebant orbem hæc omnino deſpiciebant. Sæpe ſæpius ille, qui alium ſibi collegam adſciverat primus nominabatur. Ubi ad plures ex Paterna hereditate Orbis devenit ille prior nominabatur, qui actum explebat, cæteri ſine ordine inſcribebantur. Sæpiſſime non curato præcedentiæ ordine mox unus, mox alius primus denunciabatur, ut ſparſim in noſtri *Juſtinianei Codicis Legibus* cernere

 eſt.

eſt. Verumtamen ſi adeo debilis ſit geminorum mens ingeniumque, ut nihilominus in his velint immorari neceſſe utique ipſis erit alternas ſequi vices; Itaque ſi Jurisdictionem alternatim regere, ut mox diximus, conſtituent, viciſſim etiam eodem ordine ſibi præcedentiam nominationis, ac ſeſſionis comparabatur, ſi vero in communi Feudum retinebunt; Tunc quoad hoc præcedentiæ momentum oportebit ipſos omnino viciſſitudini incumbere; taliter ut ſors in principio deligat, cui prima, ſecunda, & ſic deinceps tribuenda vices ſit; Impoſterum vero res continuetur in Orbem: Ita tamen ut Jurisdictio, & vices prius redeant ad primum quam abſolutis omnibus ad Feudum jus habentibus; Id quod licet de ſe perſpicuum ſit, nihilominus meretur animadverti. Me namque non latet, quas dudum controverſias inter *Janum Vincentium Gravinam*, *Franciſcum Lorenzini* præceptorem meum *Joannem Marium Creſcimbeni*, aliosque doctiſſimos Arcades commoverit explicatio Legis tertiæ Tabularum Arcadicarum, in qua XII. Virorum, ſeu Collegarum electio Cuſtodi *in Orbem* demandatur.

XIII. Diximus de Feudis dignitatum, ſupereſt nunc, ut loquamur de Feudis ſimplicibus. Hæc eſſe diviſibilia nedum inter geminos, ſed etiam inter Fratres nativitate diſcre-

tos

tos conſentiunt omnes, & aperta ſunt verba ipſiuſmet *Text. in d. cap.* 1. §. *Præterea Ducatus*. At plurima ex his, etiamſi non de ſui natura, adhuc tamen ob jus ſpeciale, quo plerisque in locis vivitur, ſunt indiviſibilia. Licet enim de Jure Longobardorum omnes ſuccedant, quia hoc Jure Feuda ſunt diviſibilia, nihilominus Francorum jus pluſculum ſucceſſionem coarctavit; iſtud quippe primigeniis nimium favens inſtituit in Feudorum ſucceſſione prærogativam ſexus, & ætatis (*Giurba de Feud. Prælud. 6. num.* 16.). Igitur ubi Francorum Jure vivitur dividi minime poterunt Feuda inter Gemellos? haud æquidem. Nam ſi Francorum jus dat prærogativam ætati (de ſexu enim mox verba faciemus) cuinam ex Gemellis potius dandum erit Feudum, ſi ignoratur quiſnam prior ſit in tempore nativitatis? Ergo ubi Gemelli concurrunt non ſecus Feudum conſiderari valebit in locis etiam, in quibus ſervatur Jus Francorum, ac ſi ſucceſſio moderaretur ſecundum Jus Longobardorum, quod omnes admittit ad Feudorum conſucceſſionem.

XIV. Diximus mox de ſexu nos verba facturos; Nam ſi gemini diſparis ſexus ſint, tunc ſive in Feudis dignitatum, ſive in Feudis Juris Francorum ſolum maſculum excluſa pænitus Femina admittendum eſſe probant,

quæ *ſuperiori capite* diximus, ubi de ſucceſſione in Primogenitura diſputavimus; Quæ tanto magis hic faciunt, quanto ſcitum apud omnes eſt Feminas regulariter a Feudis excludi (*Cap.* 1. §. *Filia vero de ſucceſs. Feud.*). Et quamvis Francorum Jure Feminæ etiam admittantur; Nihilominus non ſimultanee, ſed ſeorſim a maſculis eas unice admitti hoc etiam Jure decet; ita quidem ut iſtis exiſtentibus illæ perpetuo ſint excluſæ, nedum in Feudis maſculinis, in quibus omnis penitus ſilet diſputatio, ſed etiam in femininis, atque in iis pariter, in quibus pro Feminis quoque ſtipulata ſucceſſio eſt (*Giurba ibidem num.* 19.)

XV. Properat ad exitum præſens caput; ſed antequam manum dimoveamus, animadvertendum rurſus eſt quamlibet Feudi, ſive multiplicis, ſive unici diviſionem inter Geminos perpetuam non afferre ſeparationem; Nec tale jus condere in Feudo, ut expirata unius linea hujus pars ad ſupremi Principis Fiſcum devolvatur; quia cum in qualibet linea ſervanda impoſterum ſit individuitas, adeo ut utrinque Primogenitus in ſua linea ſuccedat; tum inter ipſos geminos, eorumque ſucceſſores ſervandum eſt Jus reciprocæ ſubſtitutionis; ob quam per jus accreſcendi, ſive melius non decreſcendi expirata unius linea

nea univerſum Feudum redeat ad aliam ſuperſtitem lineam; hoc namque præſtat natura, & conditio Feudi individui à pluribus poſſeſſi ſive perſonis, ſive lineis (*Cardin. de Luca de Feud. Diſc. 8. n. 16.*). Quin in minimo officiat ejus patrata diviſio; quia hæc non infringit, nec immutat Feudi naturam, & conditionem, ſed dumtaxat materialiter facta pro majori commoditate cenſenda eſt (*Bellon. de Jur. accreſcend. cap. 6. quæſt. 37. num. 37.*)

XVI. Animadvertendum quoque eſt, quod ad hanc inter Geminos ineundam diviſionem nullus neceſſarius eſt peculiaris aſſenſus ſupremi dominantis; etenim ea, quæ de alienatione Feudorum irrequiſito Domino non patranda ſancivit *Textus in cap. Imperialem de Probibit. Feud. alien. per Frider.*, hic nihil faciunt. Novus namque Domini aſſenſus tunc exigitur cum immutantur leges inveſtituræ, vel Feudum per venditionem, aut diviſionem alienatur. Jam vero per conſucceſſionem gemellorum nulla fit Legibus Inveſtituræ fraus. Quia ſi ad Perſonas admittendas ad ſucceſſionem oculi convertantur, utrique plane Gemelli eodem ſunt in gradu, eodem potiuntur Jure, unde non eſt, quod dici queat admiſſum fuiſſe aliquem, qui de Jure non foret admittendus, quinimmo in dualitate perſonæ

conſideranda eſt unitas ſucceſſionis ob æqualem utrorumque Jus ob quod ambo ſunt primogeniti, amboque propterea in Lege Inveſtituræ indiſcriminatim continentur. Si vero conſideres Feudi diviſionem; hæc utique non reddit dividuum Feudum alias individuum; ſed immo e contra; ſervata naturali Feudi individuitate, æquali contulit geminorum Juri; cujus ergo Feudum utriſque communicatur; minime autem dividitur; nihil enim eſt, quod, indiviſo manente ejus ſtatu, Feudum communicari non valeat geminis eodem primigeniali indiſcreto Jure fruentibus juxta mirabilem doctrinam *Baldi Conſil.* 275. *incip. quod pro Regula. num.* 6. *lib.* 2. Ideoque tunc Dominus directus ab utriuſque petere, ac recipere dumtaxat valet homagium, ac Juramentum fidelitatis. (*Cap.* 1 §. *Omnes filiis ſi de Feudo Defuncti contenti &c.*)

XVII. Ea, quæ huc uſque diximus de Feudis, operantur etiam in Jure Patronatu conſtituto favore primogeniti, aut majoris natu; Nam hoc etiam vocari quodammodo poteſt Feudum Eccleſiaſticum; ideoque ſicut a Patronatu ad Feudum, & ab hoc ad illud, quoad modum præſertim ſuccedendi, valet argumentum (*Lambertin. de Jure patr. lib.* 1. *art.* 8. *q.* 3.); ita abſonum non eſt, quod hactenus diſcuſſa de ſucceſſione Gemellorum in

Feu-

Feudis, etiam in Jurepatronatu obtineant, atque obſerventur.

CAPUT XV.

Varia de Gemellis, ſeu Multiplicibus Partubus.

I. Sparſim in ſuperioribus hujus *Diſſertationis* Capitibus *Leges* retulimus, quæ de Gemellis agunt. Etenim licet in utroque Jure deſit Sanctio, quæ Primogenituram Gemellorum, ut in *Proemio*, & in *Cap.* 10. diximus, definiat; nihilominus non potuit multiplex Partus a Juriſconſultis ſub ſilentio præteriri. Itaque incongruum non erit diſſertationem hanc concludere nonnulla recenſendo, quæ a veteribus fuerunt circa multiuges partus definita, de quibus ſuperius differere occaſio non fuit. In primiſque celebris fuit ea vetus, nunc vero inutilis diſputatio, qua quæſitum fuit, *num ea mulier, quæ duos, aut tres peperit, dicenda foret bis, aut ter peperiſſe*, adeo ut conſequeretur jus trium liberorum. In hac porro quæſtione *Paulus* ſibi conſtans non fuit. Etenim in *Leg.* 157. *ff. de Verb. ſignif.* hæc habet -- *Ter enixa videtur etiam, quæ tergeminos peperit* -- Contra autem *lib.* 4. *ſententiarum Tit.* 9. *d.* §. 2. hæc ait -- *Quæ*

ſemel

ſemel uno partu tres filios edidit jus liberorum non conſequitur : non enim ter peperiſſe, ſed ſemel partum fudiſſe videtur, niſi forte per intervalla pariat -- . Jam verò quæſtio hæc nimiam quamdam leguleitatem ſapit ; Nam ſi natura non permittit, ut unò impetu duos Infantes ſimul de uno utero Matris excedant, ut bene inquit *Tryphoninus* (*L. Archtuſa ff. de ſtat. Homin.*), quòmodò dubitari poterit, quod ter pepererit, quæ tres peperit? Præterea autem *Divus Claudius*, qui jus quatuor, & *Tertullus*, qui jus trium liberorum Matri ingenue detulerunt, nòn jam conſideravere pluralitatem puerperii, & periculi Mulierum patientium; ſed in ſpiritu non minus, quam in littera, tum *imperialis Conſtitutiò*, tum *Senatus Conſultus* dumtaxat reſpexerunt ad incrementum illud, quod ex multiplicitate individuorum Reſpublica capiebat; ideoque non eſt, cur in verbis ludi deberet, ubi non magis ad pariendi vices, quam ad numerum partuum unice oculos intendere decebat (*Sveton. in Claud. & L. 2. ff. ad S. C. Tertull.*)

II. Quamobrem non intelligimus cur doctiſſimus *Cujacius* (*in d.* §. 2.), & eruditiſſimus *Gothofredus* (*in d. Leg. Ter enixa*) putaverint Deciſionem *ejusdem* §. 2. redigendam eſſe ad terminos ſolius exceptionis; Nec pariter

riter percipimus quid ſibi velint alii, qui ajunt *Legem Ter enixa* unice pertinere ad terminos *Legis Juliæ de Maritandis ordinibus*, & *Legis Papiæ Poppeæ de Procreandis Liberis* (*Charanza de Partu cap.* 18. *num.* 41.). Melius enim fuit dicere *Paulum J. C.* in *d.* §. 2. vel deceptum fuiſſe ab *Hyppocrate* (*Libell. de Superfœt.*); vel cum eodem *Hyppocrate* errare maluiſſe. Meritoque propterea *Tryphoninus*, & *Vulpianus* ſanxerunt *Arethuſam* liberam eſſe juſſam ea conditione *ſi tres peperiſſet*, non minus liberam eſſe ſi tres diverſis edidiſſet Partubus; quam ſi uno partu unum, ſecundo autem tres, aut vice verſa primo duos, poſtea vero geminos peperiſſet. Semper enim verum fuit, & eſt, quidquid ex eodem *Hyppocrate* contradicat *Caranza*, (*Caranza de Partu cap.* 18. *num.* 28. & 29.) naturam humanam non permittere ſimul uno impetu duos, aut tres infantes de utero Matris excedere. Adeo ut cum pereque inter natos ordo prioritatis, & poſterioritatis ſervandus naturaliter ſit, jure concluſum a laudatis Juriſconſultis fuerit non ſolum *Arethuſam* liberam inde extitiſſe, ſed etiam ultimum ex filiis in eo multiugi partu editum; tanquam ab ea natum, quæ jam liberarem fuerunt conſecuta.

III. Cum autem nunquam dubitaverint veteres multiugem Partum non minus ad Rem-

publi-

publicam conducere; quam Numinum benevolentiæ, ac pietati, pudicitiæque puerperæ referendum eſſe; ut declaravit Bromia Ancilla, quæ non alias apud *Plautum* (*Amphitr. Act.* 5. *Sec.* 1. *v.* 35.) *Amphitruoni* probatam eſſe voluit *Alcumenæ* pudicitiam, quam ex gemino partu ab ea in lucem miſſo, hiſce verſibus

> *At ego faciam tu idem, ut aliter prædices*
> *Amphitruo piam, & pudicam tuam eſſe Uxorem ut ſcias.*
> *De ea re ſigna, & argumenta paucis verbis eloquar.*
> *Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.*

Hinc nihil magis teſtatum eſſe voluerunt, quam odia circa numeroſos fœtus reſtringenda, favores autem dilatandos eſſe Propterea *Juſtinianus* antiquam. Libertate uni dumtaxat naſcituro relicta, de controverſiam præcidit ſanciendo, quod ſi plures ab Ancilla creati, vel creatæ ſint; ſive Patronus unius fecerit mentionem, ſive pluraliter nuncupaverit; nihilominus omnes ad libertatem a primis veniſſe cunabulis. Ante eum vero Ulpianus definiverat, quod exhæredatione ita concepta -- *Si*

mibi

mihi filius unus naſceretur exhæres eſto -- ; nihilominus venter mittendus foret in poſſeſſionem -- *quia filia naſci poteſt, vel plures filiis, vel filius, & filia* -- (*L.* 1. *Quare ff. de Ventre in poſſeſſ. mitten.*) ; Ex quo non ſolum fluit, quod in tali caſu in odium exhæredationis maſculinum non concipiebat femininum, nec ſingularis appellatio continebat pluralitatem ; ſed etiam quod duobus, aut pluribus natis, nullum ex enunciata formula exhæredationi ſubjectum remanſiſſet. Et quidem etiamſi filius, & filia nati forent: Nam quemadmodum in odium exhæredationis ſi filia unica nata fuiſſet, ea nequiviſſet ſub nomine filii comprehendi ; ita ob idem odium, ac ob favorem multiplicis partus ſi tum filius, tum filia editi extitiſſent, dicere oporteret ſub nomine maſculino filii contentum fuiſſe etiam femininum ; ideoque cum Pater exhæredando de uno ſenſerit : Incertum autem tale caſu ſit, de quo ſenſerit : Inde concludere oporteat neutrum exhæredationis jacturam pati ; quia in ambiguis humanior ſequenda ſententia eſt (*d. L. cum inter C. de fideicom. libert.*)

IV. Paucis circa hæc immoramur, quia nunc penitus inutilia ſunt, cum ea vel contrariis uſibus, vel Imperialibus Conſtitutionibus penitus obſoleverint. Verumtamen plurima

rima ſi perſunt, quæ ex eodem fonte favoris multiplicium partuum derivata, nunc etiam uſuvenire queant. Idem quippe *Ulpianus* eidem ſerviens favori; quo jura erga multiplicem partum feruntur ſcriptum reliquit, quod ſi quis ita legaverit -- *Si qua filia mihi genitur ei hæres meus centum dato* --, pluribus natis omnibus ſingulatim tantumdem dandum eſt (*L. qui filiabus* 17. *ff. de Legat.* 1.): Quod quidem non tantum valere debet ſi plures filiæ naſcantur, ſed etiam ſi filiæ, & filii. Nam quamvis femininum proprie non concipiat maſculinum; attamen in favorabilibus iſtud per benignam quamdam interpretationem ſub illo continetur.

V. Quemadmodum autem favor erga multiplicem fætum multiplicat legatum, & inſtitutionem; contra ubi illi magis interſit verba Teſtamentorum, ac Teſtatoris voluntatem in anguſtum cogit, coarctque. Nam ſi Pater poſthumo hærede inſtituto ei ſubſtituerit: pluribus natis evaneſcit ſubſtitutio (*Card. Tuſc. Tom. 8. Litt. V. Concluſ. 78. num.* 1. & 2.) ſubſtitutiones quippe, & fideicommiſſa odioſa ſunt; unde non alias ſunt admittenda, quam juxta ſonum verborum. Verba autem in propoſito caſu ſingulariter loquuntur: Igitur ſingulariter ſunt intelligenda. Id, quod adeo ſtricte, preſſeque tenendum eſt, ut valeat,

etiamſi

etiamſi cauſa pia fuerit ſubſtituta. Nam quamvis magnus ſit, fueritque cauſæ piæ favor, nihilominus major, & favorabilior eſt cauſa multiplicis partus, ac filiorum, quibus nulla alia quantumvis favorabilis cauſa præponderare valet (*Caranza de Partu cap.* 2. §. 1. *Inlat.* 13. *ſect.* 1. *num.* 148.). Etenim cauſa pia a jure Canonico, & Civili ſuam repetit ſtabilitatem. Filii autem a jure naturæ, & Gentium. Cauſa pia indiget Teſtatoris voluntate, ut aliquid conſequatur. Filii paternam ſubſtantiam non Patris arbitrio, ſed ſuo ſibi jure vindicant; quia ipſi vivente ipſo Patre ſunt bonorum paternorum condomini, & compoſſeſſores. Et puto tandem excitabuntur Principes, qui æquitati, & naturali rationi ſervientes communem efficient Legem illam, quæ in Hiſpaniis dudum viguit, ſancientem legitimam filiorum eſſe omnia bona, Parentum excepta dumtaxat quinta parte, de qua hi diſponere unice poſſunt (*Caſtill. de uſufructu cap.* 45. *num.* 13.). Seu melius impiam iſtis auferent teſtandi facultatem, quæ tum iis cauſæ plerumque eſt injuſte diſponendi, tum filiis acerrime inter ſe, ac cum aliis litigandi. Satis profecto diſcordiarum inter fratres plerumque ſolet eſſe, quin aliis indigeant incitamentis. At ingratus filius a Patre exhæredari non debebit? Minime hercle vero.

Nam

Nam quid, ſi ſpecioſa verba, quibus plerumque nos decipere malumus, demantur, eſt exhæredatio niſi odii in filios teſtimonium? Anne Sacratiſſimi Evangelii leges non jubent, ut odia non ſolum erga filios, ſed erga quoſcumque deponantur, atque non tam filii, quam diligantur etiam inimici? (*Matth. cap.* 5. *Luc. Cap.* 6.). Quid quod exhæredationis jus a Civilibus profluit Legibus, quæ iis prodierunt temporibus, quibus ultio damnata non erat; Nunc autem cum hæc criminoſa ſit, antiquata dici debet poteſtas exhæredandi.

VI. Reſtat nunc, ut de geminis diſſeramus pulcherrimis Legibus, quæ peculiarem inierunt de multiplici partu mentionem. Eæ autem ſunt *Lex ſi ita ſcriptum ff. de Liberis, & Poſthum.* & *Lex Clemens Patronus ff. de hæred. inſtit.* In prima his Legibus Julianus ita fatur -- *Si ita ſcriptum ſit: Si mihi filius natus fuerit, ex beſſe hæres eſto, ex reliqua parte uxor mea hæres eſto. Si vero mihi filia nata fuerit ex triente hæres eſto. Ex reliqua parte Uxor mea hæres eſto: & ſi Filius, & Filia nati eſſent: dicendum eſt aſſem diſtribuendum in ſeptem partes: Ut ex his filius quatuor, Uxor duas, filia unam partem habeat. Ita enim ſecundum voluntatem Teſtantis filius altero tanto amplius habebit, quam*

filia.

filia. Licet enim ſubtilis juris regulæ conveniat ruptum fieri Teſtamentum: attamen cum ex utroque Teſtator voluerit Uxorem aliquid haberes: Ideo ad hujuſmodi ſententiam humanitate ſuggerente decurſum eſt. Quod etiam Juventio Celſo apertiſſime placuit -- In ſecunda vero *Paulus* hæc diſponit -- *Clemens Patronus Teſtamento curaverat, ut ſi ſibi filius natus fuiſſet heres eſſet: Si duo filii ex æquis partibus heredes eſſent: Si duæ filiæ ſimiliter: Si filius, & filia, filio duas partes, filiæ tertiam dederat: Duobus filiis, & filia natis. Quærebatur quemadmodum in propoſita ſpecie partes faciemus cum filii debeant pares eſſe; vel etiam ſinguli duplo plus quam Soror accipere? Quinque igitur partes fieri oportet; ut ex his binas Maſculi, unam femina accipiat.*

VII. Ea plane harum Legum Sanctio eſt, ut ſi Pater ventrem prægnantem inſtituendo de unico dumtaxat mentionem fecerit, nihilominus ſi plures naſcantur non rumpi Teſtamentum, quod alias per adgnationem Poſthumi præteriri rumperetur; ſed immo omnes cenſendos eſſe inſtitutos; Ea tamen ratione, ut ſi Pater Poſthumum, & Poſthumam alternative inſtituerit heredem; ſeu Poſthumum una cum extraneo heredem ſcripſeri in diviſis partibus; ſi vel utrique, vel gemini naſcantur proportione partium, qua

Teſtator expreſſit, facienda ſit diſtributio; quemadmodum latius explanat *Fortunius Garzias in repet. in L. Gallus quid ſi tantum num.* 13. *ff. de Liber.*, *& Poſthum.* Advertendum tamen hic eſt, quod Poſthumo inſtituto, ſi ex Gemellis ſubinde ortis unus ſit mas, alia autem femina, hæc in iis Regionibus, in quibus vigent ſtatuta feminas excludentia, illi univerſam cedet hereditatem ſecundum diſpoſitionem eorumdem ſtatutorum. Quid tamen dicendum foret ſi Pater præconcipiendo, quod Poſthumus eſſet femina, huic relinqueret hereditatem? Crederem ſtatutum non obſtare, quominus ipſa cum gemello maſculo conſuccederet. Quinimmo ſi Pater ita ſuæ mentis arbitrium expreſſerit -- *Si filius natus, natave ſit, heres eſto* -- Natis filio, & filia utroſque admitti debere; Utroſque enim ſub hac verborum formula non ex benigna Juris interpretatione, ſed mero jure hæredes eſſe concludit *Caranza* (*loco citato ſub num.* 44.)

VIII. Solent Doctores plurimos circa allatas Leges efformare caſus videndos penes *Manticam de Conjecturis lib. II. Titul.* 15. *a num.* 5. *ad fin.*; quos tamen utpote de geminis, ac multiplicibus partubus non loquentes prætermittimus. Ex iis tamen inferimus, quod ſi Teſtator ſic diſponat -- *Si filius maſculus*

ſculus mihi naſcatur damnas eſto dare centum Titio. Si femina hereditatem eidem Titio reſtituat. -- Natis Maſculo, & femina caducum fieri, tum legatum, tum ſubſtitutionum; illi enim obſtat nativitas feminæ, huic maſculi. Neque contrarium ſuadere debent allatæ Leges; Nam eæ & proceſſerunt favore Teſtamenti, ne ſcilicet rumperetur, & loquuntur in terminis diſpoſitionis. In præſenti autem caſu Teſtator, & proſpexit per viam conditionis, & non agitur de favore conſervandi Teſtamentum, ſed de onerando magis filio; Id quod minime permitti debet.

IX. Sed quoties Teſtator dixerit -- *Si mihi filius naſcatur hereditatem Cajo reſtituat, ſi filia Sejo* --, quod dicemus ſi neque filius, neque filia naſcatur, puta quia mater abortum fecerit? Caſus hic non pertinet ad multiplicem partum. Eum tamen optime reſolvit *Mantica in citato Tit.* 15. *n.* 7.

Ad noſtras autem Leges redeunti duplex ab iis regula colligitur. Prima quod hereditas diviſis partibus aſſignata certis perſonis debet, pluribus natis, inter eos partiri proportione Geometrica, non autem Aritmetica (*Cujac. ad d. L. ſi ita ſcriptum*). Secunda quod caſus mixtus ſub ſimplici continetur (*Bruneman. in d. Leg. n.* 50.); Id quod intelligendum tamen eſt, quando ſubeſt vel

major, vel ſaltem eadem ratio (*Tyraquell. de Leg. Connub. Gl. 3. n. 70. & Gl. 5. n. 76.*); de quo cæteroquin videndus eſt *Caſtill. controv. lib. 4. cap. 15. n. 35.*

X. Demum notandum eſt *Crotum* expendentem verba illa *Ruptum fieri Teſtamentum* (*d. L. ſi ita ſcriptum*) dicere mero jure non quidem iſtud rumpi, ſed nullum judicati debuiſſe ob filii præteritionem; Verumtamen ejus doctrina in Jure videtur peccare; Nam Teſtamentum, in quo filius, nondum natus, fuit præteritus mero jure tenet; Nec *Juſtinianus* quidquam in contrarium ſancivit *in L. maximum vitium C. de Liber. præter. vel exher.* & *in §. ſed hæc quidem Inſtit. de exherad. Liber.*; Quinimmo anteriores Leges, quæ ruptum dumtaxat faciebant Teſtamentum, firmas eſſe voluit, *eumdemque habere effectum circa Teſtamenta Parentum infirmanda*; Infirmatur autem quod validum, non quod nullum fuit. Præterea vero ſi Poſthumus non naſcatur, Teſtamentum non inde nullum eſt, quamvis tempore, quo iſtud fuit conditum jam fuiſſet conceptus in utero geſtaretur (*§. Poſthumi quoque Inſtitut. de exhered. liber.*); Igitur ab initio fuit validum, ac pendente uteri geſtatione reſidet in ſtatu implicito validitatis.

XI. Satis diximus de Geminis, aliiſque numero-

meroſioribus Partubus ; *ſatis* , ut dici ſolet, *longis cecimus Tibiis* ; ſatis , inquam , quantum debilis noſtra tulit Minerva . Plurima forſan dicenda ſupereſſent a nobis vel ignorata, vel conſulto prætermiſſa ; *Milium* ſiquidem, juxta vetus adagium, *noluimus* quandoque *perterebrare*, nec *Tellenas*, ut ajunt, *conduplicare tricas* . Diverſa tamen qui velit , adiri poterit alios ſparſim de illis agentes in ſuis libris, videlicet

Joannem Le Cirier de Primogenitur. Quæſt. 1. *lib.* 1.

Carol. Molineum in Conſuetud. Pariſienſ. Tit. 1, §. *Gl.* 1.

Tyraquellum de Primogenitur. Q. 1. & *Q.* 17.

Giurbam de Feudis Cap. 11. §. 2. *Gl.* 4.

Menochium de Præſumpt. Cap. 51. *lib.* 6.

Molinam de Primogenitur. lib. 13. *cap.* 3.

Caranzam de Partu cap. 6. & *cap.* 18.

Fabrottum exercitat. de numero Puerperii exercit. 2. *poſt eundem Caranza*.

Zachiam Quæſt. Medico Legal. lib. 9. *Tit.* 12.

Idelphonſum Peres de Lara Compend. Vit. Ho. cap. 12. *de Antiq. Paren.* & *Gemell.*

Interim nos , qualecumque hoc noſtrum opus , eo concludemus *ænigmate* , quod ex *Cœlio ſinphoſio* de Gemellis refert *Cyrinnus de Urbe Roma lib.* 1. *cap.* 19.

Plus ego ſubſtinui quam corpus debuit unum.
Tres animus habui, quas omnibus intus habebam,
Diſceſſere duæ, ſed tertia pene ſequuta eſt.

FINIS.

IN-

INDEX

Rerum Notabilium.

A

AAron Sacerdos antiquæ legis. pag. 153
Abel. V. Contentio.
Abraham a Lot, qua ratione ſeparatur, 162.
Actorides monſtra. 81.
[redacted]
Africanum Concilium circa diviſiones inter Donatiſtas converſos & Catholicos, laudatur. 207
Agripparum partus. 12
Agron gemella Caim. 25
Alemmania, ubi habeat merum, & mixtum imperium. 215
Alexander rex magnus. 202
Alexander Severus diviſit terram poſt victos Perſas. 214
Amalaſuntha Theodati conſobrina, 157
S. Ambroſius de Abraham, laudatur. 207
Anactes appellantur filii Jovis & Proſerpinæ, 57
Andreini Joannes Baptiſta in Comœdiis *La Turca e i due Lelj*, laudatur. 53. 81
Arbitri aliquando ſunt periculoſi, 172
Arioſtus Gemellos nominat, 50
Ariſtoteles de ſuperfætatione, laudatur. 85
Armenta Nicolaus in Comædia *Le Due Gemelle*, laudatur, 53
de Atiis Bernardinus in ſua Comædia. *Le due Franceſche*, laudatur. 53

S. Auguſtinus ab anotationibus inſulſis Jo: Bapt: Pii, vindicatur, 86
In libro de *Civitate Dei* circa Abraham, laudatur. 111

B

BAbel Turris memoratur. 54
Benedictus XIII. Pontifex, laudatur, 51
Benedictus XIV. Pontifex, laudatur, 12
Bibiena Cardinalis, laudatur, 49. 52
Bicorpores qui ſint, 8. 11
Boccaccius ſp[illegible] Geminorum, 50
Briarcus centumgeminos, nuncupatur, 20

C

CAin. V. Contentio.
Canones Eccleſiæ adnotantur pro regni ſucceſione. 195
Caranza de Partu, laudatur, 235. 239. 242
Carites uno partu omnes æditæ, 59
Carolus Magnus primus Galliarnm Imperator, quæ diviſit regna, 212. Regnum Longobardicum adipiſcitur, 219
Caſſiadorus de Romano Imperio, laudatur, 212
S. Catharina Senenſis laudatur, 48
Cauſa pia a jure Canonico, & civili ſuam repetit ſtabilitatem, 239
Cebà Anſaldus in Comædia *Le Gemellæ Capuane*, laudatur, 53
Cellulæ ſeptem in humano utero conſiderantur, 106
Cerberus, quare ſic appellatus, 20
Chriſtus, an ſub Conſſ. Fiſia, & Rebellio, paſſus, 42

Coccejus improbat Grotiumo de diſtinctione regnorum patrimonialium, & hereditariorum, 168
Comœdiæ circa Geminos, 52. ſeqq.
Contentio inter Cainum & Abelem ab Eutichio Alexandrino inſcripta, 25
Conſtantiæ Concilium de electione trium Pontificum, 189
Corſicum regnum. 167
Creſcimbeni Jo: Marius, laudatur, 228
Curitii, V. Horatii.
S. Cyprianus in libro de Idolorum vanit. laudatur. 159
Cyrus Perſarum rex. 202

D

Damaſus Papa, eligitur, 190
Dandulus Dux Venetorum, 174
Darius Rex Perſarum, quomodo eligitur, 176
David Propheta de Christo cecinit, 150
DejotarusRexArmeniæ quare in filios,crudelis. 196
Duorum multitudo eſt Deorum nullitas, 164
Didyma, inſula Gaditana. 17
Didymaona, nomen græcum. 8
Didymæi aut Didymi cognomen an inditum ſit Apollini. 14
Didymæum Oraculum. *Ibid.*
Didymus, nomen græcum, 13. ſeq.
Didymus Aleſſandrinus Salſamentarii filius. 16
Didymus Faventinus. *Ibid.*
Didymus Hermanovillanus. *Ibid.*
Didymus Leoclavis ſiculus. *Ibid.*
Didymus, vox in ſepulchrali Audeoaldi Ducis

Longobardorum. 46
Didymus. V. Thomas Apoſtolus.
Didymus Argiæ vicus. 17
Didymi montes in Galatia, 17
Didymi montes, ubes erat oraculum Apolliny. *Ibid.*
Didymi teſtes viriles. *Ibid.*
Didymi, aut Didymæi cognomen Apollinis. 14
Didymi nomen, urbs & loca uſurpant. 16
poſt Diluvium, Geminas numeroſam quolibet partu edidiſſe prolem, eruitur ex S. Scriptura. 54
Dionyſius qui Indianos ſubegit, laudatur, 60

E

ENnius, laudatur. 158
Epitaphium Pauli Manutio de Cajo Aquilino; 39
Epitaphium Romæ in Templo S. Euſtachj de Familia *Farnejo*. 49
Epitaphium Muſorum, Romæ in ædibus Columnenſium inciſum. 60
Erchempertus in libro Rerum Italicarum, laudatur. 219
Eſau profanus a Paulo, vocatur, 153. V. Gemelli.
Evangelium, quid circa odium dicat, 240
Eutichius Patriarcha Alexandrinus, plurimas ſcripſit fabulas, 25

F

FAbula de ſorore Cain, 25
Fabula, de reperta in utero infantulæ e matris alvo extractæ, alia infantula, 81. ſeq.
Farneſius Alexander Card. laudatur. 49

Femina, an ſuccedat in feudis Francorum. 229
Ferraria civitas ſub ditione Papæ. 218
Feuda regulariter dividua ſunt. 214
Feuda ſimplicia ſunt diviſibilia. 228
Feuda, quæ adnexum non habent jus ſummi Imperj, individua ſunt. 222
Feudorum Regalium leges. 215. ſeqq.
Feudorum Francorum leges. 229
Feudum Francum, quale vocetur. 216
Favor circa numeros fetus, an ampliandus. 236
Firenzuola in ſua Comœdia *I Lucidi* laudatur. 53

G

Garzias Fortunius, laudatur. 242
Gemella Auguſta civitas, 23
Gemella mala. 23. 80
Gemella vitis. V. Vites. Gemella vas. V. Vaſis.
Gemelli primus & ſecundus muſculus extenſorum pedis. 24
Gemelli Jacob & Eſau. 27. 131
Phanes & Zara. *Ibid.*
Gemelli Apollo & Diana. 27
Amphion & Zetes. 28
Procles & Euriſtenes. 35.
Laris & Tyber. *Ibid.*
Romulus & Remus. 35. 133.
Cajus & Lucius. 39
Alexander & Cleopatra. 41.
Fuſius & Rebellius conſſ. 42
Commodus & Antonius. 43
Criſpus & Helena. 44
Gemelli SS. Marcus & Marcellinus Martyres. 45
SS. Gervaſius & Prothaſius Martyr. *Ibid.*

Ge-

Gemelli SS. Medardus & Ghildanus uno partu, una die nati, Epiſcopatum adepti, mortui, & inter ſanctos relati. 47
Lupus & Apro. 48.
Polla & Helena. Caſtor & Clytemneſtra. 52. 132
Artaxerſes & Xerſes. 2
Cyrus & Artaxerſes. *Ibid.*
Gemi & Bajazetus. *Ibid.*
Cratus & Eurytus. 30
Cereris & Core. 60
Lares ex Mercurio. 32
Autholicus & Philemon. 33
Zetem & Calaim. *Ibid.*
Thoas & Euneos. 34
Gemelli Caim & Abel. 26
Tubalcaim & Noeme. *Ibid.*
Gemelli nati homines, in initio rerum. 25
Gemelli in regnis, ubi plures licet Regi habere uxores. 213
Gemelli ſunt, ſi etiam plures, quam duo appareant. 11
Gemelli quomodo generantur. 8
Gemelli an admitti debeant ad regiam poteſtatem. 165
Gemelli, quo modo ſuccedere debeant in Monarchiis. 200. ſeqq.
Gemeticum celeberrimum Monaſterium prope Rothomagnum. 23
Gemellorum Primogenitum, V. Primogenitura, V. Succeſſio.
Gemini nomen datur Areti. 22
Gemini omnes Genuæ. 17
Gemini vocantur Faſti: Conſulares Romani. 21
Ge-

Geminorum nomen, indiium coxæ muſculis. 24
Geminus generis vox eſt. 10
Geryon tricorporeus. 20
Goldoni Carolus in Comædia *I Due Gemelli Veneziani* laudatur. 53
Gratiæ. V. Carites.
Gravina Vincentius, laudatur. 228
Grotius, *De jure belli, & pacis* circa diſtinctionem regnorum, non audiendus, 168. Quid ſtatuat de regni ſucceſſione, ubi pater non reliquit heredem. 183. 196

H

Hebræi, an annos pluſquam quinquaginta demorati ſint in Ægypto. 57
Hebræi ad numerum ſeptuaginta, qui migravere, in Ægyptum ex Jacob, multiplicati ſunt nimis. 55. ſeq.
Hebræorum feminæ in Ægypto. V. Iſraelis.
S. Henricus Imperator, laudatur. 187
Henricus IV. Galliarum Rex pro ſucceſſionis quæſtione, laudatur. 191
Hercules geminus in lucem venit cum Iphiclo. 30
Hereditas ſucceſſiva ventris prægnantis cum ſuis perſtitibus. 114. ſeqq.
Hiſtoria Euriſtenis & Proclis ab Herodoto narratur. 133
Hominis prima formatio ex Ariſtophane. *Ibid.*
Horatii & Curiatii. 60. ſeqq.
Hyſpanica lex de primogenitura Gemellorum. 149

I

JAnus appellatur Geminus. 17
Jeſus Chriſtus perfectiſſimum nonomeſtrem educit. 95
Imaginationes in ſuperfetatione utiliores. 98. ſeq.
Imperator Germaniæ a novem Electoribus eligitur. 190. Abyſſinorum à Sabaudris. *Ibid.*
Iſraelis feminæ in Terra Ægypti, quinos & ſeptenos ſingulis partubus pepererunt. 54. ſeqq.
Italia, ubi merum & mixtum habeat imperium, 215
Jus patronatus ea operatur quæ de feudis favore primogeniti. 232

L

LAmbertinus de jure patronatus laudatur. 232
Legatum, quod ancilla libertatem acquirat, ſi primum marem peperiſſet, an ſolvendum, & quomodo in caſu genuini partus. 144
Lex XII. Tabularum de Poſthumi hereditate, 128
Lex Salica, quid ſtatuat de Gemellis ad hereditatem regiam. 166
Lorenzini Franciſcus, laudatur. 228
Lot. V. Abraham.
de Luca Card. circa Feuda, laudatur. 231
Ludovicus XV. Galliarum Rex habet gemellos liberos. 51

M

MAla, quæ vocantur Gemella. 23. 80
Marchiæ Ducatus, an merum & mixtum

tum habeat imperium. 215
Marcus Aurelius Antoninus princeps & plenus Philoſophiæ vocatur. 162
Marcus Zueons Boxhornicus, laudatur. 50
Melchioris familia nobilis Romana, laudatur. 51
Menæcmi, iidem ſunt, ac Gemini. 10
Monachi Maurini de ſuperfætatione laudant S. Auguſtino, Hyppocratem, & Ariſtotelem. 86. ſeq.
Monarchia quid ſit. 200
Monarchia, ejuſque ſucceſſio in caſu geminorum heredum. 295. 200
an Monarchia dividi poſſit. 200. ſeq. Nova a vetera diſtinguenda. 206. 210

N

Nativitas, an forma & robore præſtanda vitiatis. 177. ſeqq.
Navarræ Regnum diviſum inter Gallos & Hyſpanos. 210
Nembrod pronepos Noe, laudatur. 54
Nilus ſemptingemini cognomine gaudet. 25. In omnibus fertilis. 56. 110

O

Oligarchia, quid ſit. 163
Odium circa numeros fætus, an reſtringendum. 236

P

Palici ſeu Paliſci filii ſunt Jovis. 28
Papa a ſolis Cardinalibus eligitur. 190

Pa-

Papa, cur inter Catholicos dividere queat regna. 209. Quid poſſit vel non poſſit circa Feuda. 216
Pandectæ Florentinæ circa ſuperfætationem, adnotantur. 88
Pares, hæc vox a latinis, quare inſtituta. 9
Parilia Feſta, an Palilia. *Ibid.*
Partus plures numeroſi narrantur. 66. ſeqq.
Partus mirabile circa numeros, & prodigia in Germania. 72
Partus Cæſarius. 141
Partus Lædeus. 70. ſeq.
Partus Margaritæ filiæ Comiti Hollandiæ, quam uno peperiſſe partu, perhibetur filios, quot ſunt anni dies, verus an falſus. 73. Quid de alio, mille quingentorum, & quatuordecim fætuum. *Ibid.*
an Partus multiplex ſucceſſionis capax ſit. 105
Partus antediluvianus, maſculum & feminam gemellos producebat. 26
S. Paulus Apoſtolus de partu Rebeccæ loquens, laudatur. 26. 85. Philippus Macedi, laudatur. 172. Plautus circa Geminos laudatur. 52
Portæ Tergeminæ a Plauto indicatur. 24
Primogenitura apud Hebræos Ægyptios, Græcos, Perſas, & Parthos. 2. 131. ſeq.
Primogenitura Gemellorum quorum nativitatis ordo ignoratur. 142
Primogenitura, an de ſui natura ſit indiviſibilis. 150. ſeqq.
Primogenitura apud Hebræos fuit incommunicabilis, atque indiviſibilis. 153
Primogenitus vocatur, qui primus totus in lucem progreſſus eſt. 135. ſeqq. Deciſio particu-
laris

laris e contra habetur. 137
Primogenitus quis habendus. 4
Proculiani quid ſtatuant de ſucceſſioae ventris prægnantis cum ſuperſtibus. 123. ſeqq.
Proportio, an gemetrica, vel arithmetica conſideranda in hereditate Gemellorum. 243
Puerperium, & ejus leges. 104. ſeqq.
Pyrrhus, laudatur. 172

Q

Quadrigemini vox in partubus quid ſignificet. 10

R

Reges appellantur filii vivente etiam patre. 62. ſeqq.
Regna, quando ſint impari numero, aut inæqualia. 209
Regni ſucceſſio, V. Succeſſio.
Regni diſpoſitio, an valeat tempore mortis per patrem in filios diſponere. 182
Regnum in ſe diviſum, deſolabitur. 163
Regnum unicum, quale vocetur. 167
Regnum novum a veteri circa ſucceſſionem, quomodo dividendum. 211. ſeq.
Reſpublica Ariſtocratica, diſſimilis eſt a Democratica. 158
Rex datur Hebræis. 156
Rolli Dominicus poeta, laudatur. 15
Romulus & Remus ſub quo ſigno cæleſti orti ſint. 75. ſeq. 176. V. Gemelli.
de Rudelſtad principum familia, ortæ ſunt Dorothea

rothea Sophia, atque Aloyſia Gemellæ. 51

S

SAbiani quid ſtatuant de ſucceſſione ventris prægnantis cum ſuperſtibus, 1**. ſeqq.
Sacra Scriptura nullius Trigeminorum, aut numeroſioris ſobolis partus meminit. 54
Salomon rex a Davide conſtituitur. 170
Sardiniæ regnum. 167
Seneca, laudatur. 159
Schenechius de Feudis, laudatur. 218
Solymanus Turcarum Imperator. 201
Sors vocatur a Poetis, filia fortunæ. 175
Sicilia merum & mixtum habet imperium. 215
Spoletini Ducatus circa Feuda, leges. 219
Stemma Domus Urſinæ. V. Urſinæ.
Succeſſio regni, quando ex filiis geminis, Pater nullum prælegit, ad quos cadat. 183. ſeqq.
Succeſſio regni, an per Patrem & populum cognoſci poſſit. 188
Succeſſio, quomodo moderanda, ſi frater decedat extantibus fratrum filiis, & uxoribus defunctorum fratrum uterum gerentibus. 129
Succeſſio Gemellorum in Regnis. 155. ſeqq. In Regno unico. 167. ſeqq. In Monarchiis. 200
Succeſſio ſimultanea Geminorum in regno unico, fugienda. 169
Succeſſio Regni, an filiis pernicioſis concedenda, 181. ſeqq.
Svetonius, laudatur. 234
Superfætatio ſuo tempore fecundatur. 101. ſeq.
Superfætationes definitio. 84. V. Vulpianus. V. Ventris prægnantis.

Taſſus

T

TAſſus Torquatus Geminos varios nominat. 50
Tergemini, Speuſippus, Leuſippus, & Meleuſippus Martyres. 66
Teſtamentum, an rumpatur, quando Pater ventrem prægnantem de unico mentionem faciens fætu, plures inde naſcantur. 241. ſeqq.
Thomas Apoſtolus, vocatur Didymus. 13. ſeq. 42

V

VAſis genus apud antiquos vocatur Gemella. 23
Ventris prægnantis ſucceſſio cum ſuperſtibus, leges, regulæ, & opiniones. 114. ſeqq. V. Etiam Hereditas, & Teſtamentum.
Vites quæ appellantur Gemellæ. 23
Urſinorum familia nobilis, laudatur. 51
Unitas rerum principium, menſura, & finis. 10
Vulpianus alloquens de ſuperfætatione, laudatur. 89. ſeqq.

Z

ZAccharias Summus Pontifex, laudatut circa regni ſucceſſionem. 188
Zenobia Palminerorum Regina, laudatur. 100

FINIS.

692

Digitized by Google

005654715

Digitized by Google

Restauro del Libro
Badia
di
Cava